



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Disputatio X. De Causa exemplari, finali, & instrumentali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

calefactionem, quæ fit, quando aqua calida calefacit: tum quia nihil impedit quominus sic concurrat tanquam causa partialis: licet enim actus sit superioris ordinis, quia supernaturalis, hoc non impedit, quominus intellectus partialiter concurrat: nam eo ipso erit actus supernaturalis, & altioris ordinis quod requirat auxilium supernaturale in substantia, quantumvis procedat ab alia causa, quæ non sit supernaturalis.

CONCLUSIO I.

In quibus debet poni potentia obediens, & solis debet poni potentia obediens, quæ possunt habere actus circa aliquod obiectum naturaliter, circa quod possunt haberi ab iisdem potentiis actus perfectiores, quos naturaliter nequeunt habere; & in illis etiam quæ possunt producere aliquos effectus naturaliter aliquo modo, qui tamen alio modo ab ipsis possunt provenire quam naturaliter procedunt. Hæc est conformis principiis positis conclusione tertia: & patet quia nulla alia ratione potest colligi quod detur in vllis, quam in huiusmodi: in huiusmodi autem quod poni debeat, probatur tum exemplo intellectus, & potentia generatiuæ Virginis, quæ concurrebat ad organizationem corporis Christi in instanti, & etiam quia nihil impedit quominus in huiusmodi ponatur: nec hoc indiget meo iudicio alia meliori probatione.

Quod si quæras, an illud auxilium quo compleri debeat potentia obediens, debeat esse intrinsecum illi, nec ne.

Respondetur posse esse intrinsecum, sicut de facto in fidelibus in quibus ponuntur intrinsece habitus supernaturales communiter, tanquam complementa intellectus & voluntatis in ordine ad actus supernaturales; & in Beatis, in quibus intrinsece ponuntur lumen gloriæ in ordine ad visionem beatificam, & habitus charitatis in ordine ad amorem beatificum. Vel etiam potest esse extrinsecum, ut ipsamet omnipotentia Dei in actu primo, & concursus specialis supplens defectum concursus comprius in intrinsece, sicut contingit in iis, qui per actus supernaturales disponunt se ad recipiendos habitus supernaturales: de quo fufius agi solet in Theologia: & sufficit modo pro principio ad utrumque probandum, quod non implicet utroque modo compleri potentiam illam, & quod de facto sic fiat, ut patet in exemplis allatis.



DISPUTATIO X.

De Causa Exemplari, Finali, & Instrumentali.

ONIVNGO in vnam disputationem omnes has Causas, quia pauca de iis consideranda sunt, & ad vitandam nimiam disputationum multiplicationem.

QVÆSTIO I.

Quid sit Causa Exemplaris, & ad quod genus causæ reduci debeat.

Quoad primam partem huius quæstionis, potissima difficultas est, an exemplar sit ipsamet cognitio, quam habet artifex agens exemplariter; an vero obiectum talis cognitionis: circa quam difficultatem communior sententia Thomistarum cum suo Doctore 1. p. q. 25. a. 1. est quod exemplar sit conceptus formalis seu cognitio artificis: quos sequitur Suarez disp. 25. met. Fonseca 7. met. c. 8. q. 2. Ruminus hic tract. 6.

Secunda sententia est quod exemplar sit conceptus obiectiuus, seu obiectum, quod intuetur artifex per cognitionem, dum operatur, & hoc vniuersaliter, tam in creatis, quam in Deo. Hanc tenet Doctor. 1. d. 35. quem præter suos communiter citatos à Mastro disp. 7. n. 1. sequitur Arriaga, disp. 8. s. 8.

Tertia sententia media asserit causam exemplarem creatam seu exemplar, quod respicit causam creatam, esse conceptum obiectiuum non formalem, causam vero exemplarem seu exemplar, quo vitur Deus, esse vel suam cognitionem, vel essentiam diuinam. Hæc est Molinae 1. p. q. 1. disp. 2. Vasquez disp. 71. 1. 2.

CONCLUSIO II.

Exemplar seu Idea est id, ad quod respicit causam efficiens, dum operatur, ut ad eius imitationem producat effectum. Hæc descriptio in re est communis & conuenit cum aliis, quæ adduci solent ex mente Philosophi & Doctoris.

Probatur autem quod sit bona, quia omni & soli conuenit, & sufficienter declarat naturam exemplaris seu ideæ, ut patet ex eius declaratione. Dicitur, ad quod respicit artifex seu causa efficiens dum operatur, quia in hoc conuenit cum fine, quia finem etiam respicit artifex. Dicitur, ut ad eius imitationem effectum producat, ut distinguatur à causa finali, quæ respicitur quidem ab efficiente, sed nō ad hunc finem. Hic quæri solet qua cognitione respici debeat exemplar: & communiter asseritur, quod cognitione intellectuali, unde tenetur solas causas efficiētes intellectuāles uti exemplari in operando: sed tamen, quia experientia constat Simias ad imitationem actionum humanarum facere multa, potest dici, quod ad exemplariter perfecte agendum requiratur cognitio intellectualis: sed quod sufficiat cognitio sensitiua ad agendum exemplariter imperfecte; nec in hoc alia quæstio potest esse quam de nomine.

Quæri etiam solet ulterius, an causa agens per exemplar debeat esse causa libera. In quo etiam est alia quæstio de nomine, & mihi magis placet quod absolute, & simpliciter sit per accidens ad causam exemplarem, quod utens illa sit agens liberum nec ne, & quod sufficiat quod conetur effectū ad imitationem exemplaris sibi per cognitionē propositi producere. Dixi conetur producere effectū ad imitationem; quia non est necesse ut actu sic producat, quia posset fieri, quod propter imperitiam, aut defectum instrumentorum non posset producere effectum sic ut imitetur, & tamen ageret exemplariter; sufficit ergo quod conetur imitari exemplar dum operatur.

CONCLUSIO III.

Idea seu exemplar non est conceptus formalis, quam habet agens: sed conceptus obiectiuus, quem cognoscit conceptu formali. Hæc est secunda sententia contra primam, & tertiam.

Probatur primò ex Philosopho 7. met. text. 26. ubi ait sanitatem corporis procedere ex sanitate, quæ est in anima; sed sanitas quæ est in anima, id est, illa quam respicit medicus dum conatur restituere infirmo sanitatē, est causa exemplaris; & non est conceptus formalis; neque enim vllus vnquam vocauit conceptum seu cognitionem sanitatis sanitatem; sed est ipsamet sanitas obiectiua; ergo exemplar est conceptus obiectiuus non formalis.

Probatur secundo ratione, & confirmatur præcedens probatio: Illud est exemplar & idea operis faciendi, quod agens respicit & intuetur, dum operatur: sed patet experientia, quod non respiciat suam cognitionem, sed obiectum aliquod aliud; ergo illud obiectum quod est, quod vocamus conceptum obiectiuum, est exemplar.

Respondet Suarez, respicit ipsamet cognitionem per aliam cognitionem reflexam aliquando, quamuis quis id non aduertat: & aliquando per eandem ipsam cognitionem obiecti, quæ reflexa est supra seipsam.

4. Sed contra: præter quam quod gratis asserat cognitionem respici per aliam cognitionem quæ non aduertitur: si enim non aduertitur, ad quid deferuit, seu unde colligi potest quod habeatur talis cognitio: Præter, inquam, hoc, si nō daretur vlla alia cognitio reflexa formaliter, aut si ipsamet cognitio directa obiecti non esset virtualiter reflexa, sed sufficeret solum modo ad representandum obiectum, & sufficienter determinaretur agens ad producendum

Quid sit exemplar.

Quæ causa agit exemplariter.

An respiciat.

Idea seu exemplar non est conceptus formalis, sed obiectiuus.

producendum talem effectum exemplariter, potius quam alium effectum: ergo tum haberet exemplar sibi propositum: sed non haberet aliud quam conceptum obiectum: ergo conceptus obiectiuus est exemplar, & non cognitio ipsius.

Deinde ulterius non tollit responsio *Suarij* vim rationis fundatæ in experientia, qua constat si quis reflectat supra se, dum agit exemplariter, non respici cognitionem, nec ad cognitionis similitudinem fieri effectum, sed respici obiectum cognitionis, & ad similitudinem eius produci effectum. Quod confirmatur exemplo *Pictoris*, qui sensibilibiter respicit ipsum prototypum, non vero cognitionem eius.

Obiectiones Aduersariorum tendentes ad probandum, quod exemplar diuinum, quo vitur Deas, sit conceptus formalis non obiectiuus, relinquo pro Theologia, quia Theologica sunt; quamuis etiam facile solui possint ex iis quæ hic dicuntur.

Obijcies primo. Si conceptus obiectiuus esset exemplar, vel esset ipsamet res, quæ faciendæ est, vel alia. Non primum: quia idem esset causa sui ipsius, & simile sibi: exemplar enim est causa exemplaris, & simile ipsi: non secundum, quia saltem sæpe artifex non habet aliud sibi propositum, quam ipsammet rem faciendam.

Respondeo exemplar esse obiectum cognitionis, quam dicunt aduersarij esse causam exemplarem, & fatentur haberi, quoties aliquid exemplariter fit: siue illud obiectum sit ipsa res faciendæ, siue non. Quod si illud obiectum sit alia res, quam quæ faciendæ est, tollitur tota difficultas obiectionis; si vero sit ipsamet res faciendæ, ut fatentur aduersarij sæpe contingere, tum dicendum, non esse absurdum, quod idem seipsum causet exemplariter, tum quia causa exemplaris est intentionalis, & non requirit existentiam realem causæ; nec est etiam absurdum, quod res exemplata producta à parte rei sit similis sibi ipsi, quatenus habet esse obiectiuum in intellectu: sicut idem homo, qui est hodie, dicitur similis sibi ipsi, ut fuit heri; quamuis hæc similitudo dicenda sit potius negatiua quam positiua, quia potissimum consistit in negatione dissimilitudinis, & non in positiua aliqua relatione reali, quia omnis relatio realis requirit extrema realiter distincta & existentia.

An artifex
respiciat rem
faciendam.

Et si quæras, an ipsa res faciendæ sit, quæ respicitur, tanquam exemplar ab artifice; an vero aliquid aliud obiectum.

Respondeo, si loquamur de Deo, qui est perfectissimum agens, exemplar ipsius esse eandemmet rem, quæ producitur, quia ipse sua cognitione infinita attingit omnia indiuidua, quatenus inter se distincta sunt; unde & potest vnum determinatum indiuiduum sibi proponere, dum agit, & illud ipsum conformiter producere: nec imaginabile est, quodnam aliud exemplar posset habere ad vnum indiuiduum potius quam aliud producendum, præter ipsummet indiuiduum, quod vult producere: de quo in Theologia fusius.

Si vero loquamur de causis secundis; respondeo ipsas nunquam habere ipsammet rem faciendam secundum propriam suam rationem numericam pro exemplari; quia non potest creatura vlla habere pro hoc statu cognitionem determinati indiuidui ipsius solius representationem; nec ad vnum indiuiduum consequenter præ omnibus aliis determinare potest; & certum est quod per quamcunque cognitionem, quæ de facto habetur de indiuiduo, possit æque representari aliud indiuiduum ita, ut nos non possemus discernere quodnam ex ipsis cognouimus primo; aut si successiue proponantur, an duo indiuidua proposita nobis sint, an vero idem bis; & in hoc sensu verum est quod indiuidua non cognoscantur ut indiuidua pro hoc statu.

Obijcies secundo. Exemplar debet esse expressum rei exemplatæ seu productæ exemplariter & principium cognoscendi ipsam: sed hoc conuenit conceptui formali, non obiectiuo: ergo conceptus formalis est exemplar, non obiectiuus.

Respondeo, distinguendo maiorem quoad primam

partem: debet esse expressum ipsius, quatenus debet esse simile ipsi, transeat; alio modo, nego maiorem. Distinguo etiam maiorem pro secunda parte debet esse principium cognoscendi formale, id est ipsa cognitio eius, nego maiorem: principium cognoscendi obiectiuum, id est, obiectum quod determinat intellectum ad talem cognitionem, concedo maiorem; & conformiter ad hoc distinguenda est minor pro utraque parte, & neganda consequentia.

CONCLUSIO III.

7 Exemplar reduci debet ad genus causæ effectiua & non formalis. Hæc est *Doktoris* in 1. d. 8. cum suis & *D. Bon. 3. d. 1.* quos plures alij sequuntur contra *Albertum Magnum* & alios.

Exemplar
reduci de-
bet ad cau-
sam effici-
entem.

*Probat*ur: Causa efficiens ut sic diuiditur in causam naturalem, & artificialem: ergo sicut quidquid constituit ipsam in esse causæ naturalis, reduci debet ad causam efficientem; ita etiam quidquid constituit ipsam in esse causæ artificialis, debet ad causam efficientem reduci, & quidquid etiam habet similem rationem: sed exemplar vel constituit causam in esse causæ artificialis, vel certe similem habet rationem causandi, seu eodem modo reduci debet ad causam efficientem, ad quod constituit ipsam in esse causæ artificialis: ergo ad causam efficientem reduci debet.

Dices, artem constituere causam in esse causæ artificialis, non vero exemplar: ergo ex eo, quod causa artificialis sit species causæ efficientis, non sequitur, quod exemplar debeat reduci ad causam efficientem; sed solum requiritur quod ars ad illam reduci debet.

Contra primo, quia non est maior ratio, cur causa artificialis sit species causæ efficientis ut sic, quam causa exemplaris: ergo si ars ex eo, quod constituat causam artificialem, reduci debet ad causam efficientem, etiam exemplar, quia constituit causam exemplarem, similiter ad causam efficientem reduci debet.

Contra secundo, quia ars distinguitur ab exemplari penes hoc, quod ars sit principium vniuersale respiciens plures effectus, exemplar vero determinatur ad vnum: sed principium vniuersale, & particulare ad idem genus causæ reduci debent: ergo si ars reducit ad genus causæ efficientis, idem dicendum erit de exemplari, & idæa.

8 Obijcies: exemplar est forma: ergo potius debet dici causa formalis, quam efficiens.

Confirmatur: quia dat speciem effectui: sed quod dat speciem est formalis causa: ergo.

Respondeo distinguendo antecedens: est forma constituens causam exemplariter agentem in esse talis, sicut forma ignis constituit ignem in esse causæ efficientis naturalis, concedo antecedens, sed nego consequentiam: est forma effectus constituens ipsum intrinsece aut alio modo, quam quatenus determinat agens ad ipsum producendum, nego antecedens. Quod autem sic sit forma eius, non facit ad hoc ut reduci debeat ad causam formalem, quia aliàs forma ignis, quæ determinat ignem ad producendum alium ignem, reduci deberet ad causam formalem alterius ignis, quod est contra omnes.

Ad confirmationem similiter *Respondeo*, distinguendo antecedens: dat speciem ipsi, quatenus intrinsece constituit ipsum in tali specie, nego; quatenus determinat agens ad producendum ipsum in tali modo potius quam alio, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia etiam forma ignis dat speciem ipsi producto, quatenus determinat ignem producentem ad producendum alterum ignem, qui producitur; & species intelligibilis talis determinat intellectum ad producendam talem cognitionem potius, quam aliam; ac consequenter dat ipsi speciem extrinsece, nec tamen aut forma ignis est causa formalis ignis producti, aut species intelligibilis causa formalis intellectionis. His tamen non obstantibus, si quis veller extendere causam formalem non solum ad formam intrinsecam, qua constituitur res in esse tali; sed ad formam extrinsecam, ad cuius similitudinem produceretur, posset dicere quod exemplar sit causa formalis rei, & fortassis aduersarij nihil aliud volunt in re.

Tit 2 CON

CONCLUSIO IV.

Quid sit actio causae exemplaris. **A**ctio, qua exemplar producit effectum, aut concurrat ad productionem, est ipsamet actio realis, qua causa efficiens exemplariter agens producit realiter effectum cum aduerentia ad exemplar. Hæc probatur primo, quia exemplar debet habere aliquam actionem, alias non esset causa in actu secundo: sed non habet causalitatem aliquam realem propriam sibi, & egredientem à se solo; tum quia illa esset superflua; tum quia non apparet huiusmodi influxus aliquis in causa exemplari: ergo aliam non habet præter assignatam in conclusione.

Probatur secundo, quia exemplar non habet aliam causalitatem circa effectum, quam quod maneat obiective coram agente, & quod sic manendo determinet causam ad producendum effectum talem potius quam alium: sed non determinat ipsum producendo aliquid in causa: ergo determinat ipsum, quatenus, eo posito, actio terminata ad talem effectum egreditur à causa, & consequenter actio illa est causalitas ipsius, quatenus procedit à causa respiciente exemplar.

Confirmatur hoc: quia forma ignis, qua constituitur ignis, in esse causæ naturaliter agentis, non habet aliam actionem præter illam realem, qua causa constituta per ipsam producit effectum: ergo nec exemplar, quo constituitur causa in esse causæ exemplariter agentis, habet aliam actionem præter illam, qua causa exemplariter agens producit effectum respiciendo exemplar.

10 Dices actionem realem illam non posse procedere ab exemplari, quia hoc non agit nisi intentionaliter: ergo vel nullam habet actionem, vel certe aliam distinctam ab illa.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico actionem realem posse provenire partialiter à principio quo intentionaliter activo, modo addit aliud principium reale quo physice actiuum; sicut contingit in proposito nostro, & maxime quando illa actio refunditur in principium illud solum, quatenus non procederet à causa efficiente, nisi respiciendo exemplar, sicut etiam contingit in proposito: unde reuera videtur quod actio illa nō dicat ordinem essentialem ad exemplar, quia non video cur eadem actio non posset esse in causa, quamvis exemplar non ageret, nec proponeretur: sed tum non esset actio exemplaris; quia ad hoc requiritur, ut egrediatur ab agente respiciente exemplar, & volente effectum ad proportionem ipsius vel similitudinem producere; quare esse ab exemplari videtur esse denominatio extrinseca desumpta à respicientia exemplaris.

QVÆSTIO II.

Quid sit, & quoniamplex est causa finalis?

CONCLUSIO I.

Quid sit finis. **F**inis bene describitur esse id, cuius gratia aliquid fit, seu illud propter quod aliquid fit. Hæc est communissima, & patet, quia omni & soli convenit hæc descriptio, nec in ea aliquid deficit aut superfluit.

Dices: propter causam efficientem res fit, & propter revelationem aliquis credit, nec tamen causa efficiens est causa finalis, nec revelatio est finis fidei: ergo non valet prædicta descriptio.

Respondeo distinguendo antecedens: propter causam efficientem, & revelationem, id est, nisi esset causa efficiens aut revelatio, non fieret res, nec haberetur fides, concedo antecedens: propter causam efficientem aut revelationem ita, ut cedens aut faciens rem aliquam ordinet illam rem aut fidem ad revelationem aut causam efficientem, nego antecedens. Itaque quando dicitur, quod propter finem aut gratia finis aliquid fit, sensus est, quod id, quod fit, fiat ex amore finis; seu quod causa efficiens determinetur à fine amato ad illud faciendum, vel dirigendum in ordine ad finem: & hoc sufficit ad resolutionem questionis pro prima parte. Pro resolutione vero secundæ partis solum sunt proponenda & breviter examinanda aliquot principales divisiones finis.

11 Primo divisio est finis in finem cuius, & finem cui.

Finis cuius est, propter quem consequendum alicui, quis operatur: sic Deus est finis omnium operationum nostrarum bonarum, quas ad eum nobis promerendum eliciamus: & sic etiam sanitas est finis medicinæ, quia ad sanitatem infirmo procurandam quis applicat medicinam. *Finis cui est* illud, cui volumus & appetimus finem cuius, ut persona infirmi, cui desideramus sanitatem. Hic controuertitur, quisnam ex his finibus sit principalior: sed communis & vera resolutio est, utrumque esse principalem in suo genere, & neutrum esse finem alterius, quia neuter ordinatur ut medium ad acquisitionem alterius, licet finis cuius ordinetur, ut perfectio, ad finem cuius, & finis cui ordinetur, ut perfectibile, ad finem cuius; nec potest fieri quod finis cuius moueat, quin moueat finis cui; nec finis cui sine fine cuius.

Secunda divisio est finis cuius in finem efficiendum, & non efficiendum: finis efficiendus est, qui mouet ut producat ut parte rei, & talis est sanitas, quando deficit & applicantur remedia ad eius restitutionem: finis non efficiendus est ille, qui præsupponitur in esse, sed non coniungitur cum fine cuius; mouet autem efficiens ut procuret illam coniunctionem: talis est Deus, quando mouet nos ad procurandam beatificam possessionem eius. Vbi tamen aduertendum, quod non appetatur huiusmodi finis, quin simul appetatur aliquid non existens, nempe ipsamet consecutio seu adeptio eius.

13 Tertia divisio, est in finem obiectiuum, & formalem: finis obiectiuus est illud bonum, quod nobis aut aliis desideramus, ut Deus & sanitas: finis formalis est ipsamet acceptio seu consecutio talis boni. Ex his finibus uterque est principalis in suo genere, & neuter mouet, non mouente altero, atque adeo integrant vnum finem totalem cuius gratia.

Quarta divisio, est in finem operis, & finem operantis. *Finis operis* est, ad quem opus ex natura sua ordinatur, ut sanitas est finis ad quem extractio tanti sanguinis ordinatur. *Finis operantis* est ille quem intendit operans: ut si intenderet medicus procurans sanitatem lucrum suum aut detrimentum alterius, quod ex sanitate succedere posset, non vero bonum illius quem sanaret, istud lucrum esset finis sanitatis, quantum est ex parte operantis. Posset autem contingere ut idem esset finis operis, & operantis, quando scilicet operans intenderet illum finem, ad quem opus ex natura sua ordinatur.

Quinta divisio est finis cuius in finem vltimum, & non vltimum. *Finis vltimus* est, qui non ordinatur ad vltiorem finem, tanquam medium ad ipsum consequendum aut producendum. *Finis non vltimus* est, qui ad vltiorem finem ordinatur: v. g. si quis sumat potionem ad procurandam sanitatem, & desiderat ipsam sanitatem, ut ea mediante acquirat beatitudinem, sanitas erit finis respectu potionis, sed non vltimus, quia vltius ordinatur ipsamet sanitas ad ademptionem beatitudinis. Beatitudo autem est finis vltimus, quia non ordinatur vltius ad vltiorem finem, ut suppono. Sunt tamen, qui cum *Vasquez* negant finem non vltimum habere veram rationem finis, quia scilicet non mouet gratia sui, sed gratia finis vltimi, quo non mouente non moueret finis non vltimus. Probabilior tamen videtur sententia opposita, quam ex Doctore 4. d. 14. q. 2. colligit *Mastrinus*.

14 Ratio est, quia sufficit ad veram causam finalem, quod intentionaliter proposita moueat voluntatem ad applicandam media apta ad sui consecutionem seu productionem: sed hoc competit fini non vltimo, ut patet in exemplo allato: nam sanitas desiderata mouet ad summptionem potionis, ad quam summptionem ipsamet beatitudo non moueret secundum se, quia summptio potionis nullam habet proportionem cum beatitudine, nisi quatenus summptio potionis habet connexionem cum sanitate, quæ connexionem habet cum beatitudine. Nec refert, quod sanitas non moueret, nisi moueret beatitudo; hinc enim solum habetur, quod sanitas non habeat rationem finis vltimi; & sane sufficit, quod sanitas moueat ad summendam potionem ex suppositione, quod appetatur, sine appetere ab absque appetitu beatitudinis, siue non.

Dices

Dices cum Vasquez, medium non potest habere rationem finis: sed finis non ultimus est medium, ergo nequit habere rationem finis. Probatur maior, quia medium, quod medium; non potest appeti propter se, sed propter aliud: sed ut haberet rationem finis, debere appeti propter se: ergo nequit habere rationem finis.

Confirmatur quia secundum Philosophum 2. Phys. text. 19. omnia fiunt gratia finis: ergo finis nequit esse gratia alterius, & consequenter finis non ultimus, qui sit gratia alterius, nequit esse vere finis.

Respondetur distinguendo maiorem: finis ultimi, nego; non ultimi, concedo. Ad probationem maioris respondeo distinguendo minorem: ut haberet rationem finis ultimi, concedo minorem; non ultimi, nego minorem. Itaque sufficit ad rationem finis ut sic, quod moueat ad applicandum medium; per hoc enim habebit esse id, cuius gratia aliquid sit; siue ipsummet referatur ad aliud, siue non. Quando autem dicitur, quod finis appetatur propter se, vel hoc non est intelligendum vniuersaliter de omni fine, tam ultimo, quam non ultimo, sed de ultimo tantum; vel certe intelligendum est sic, ut sensus sit, quod omnis finis comparatus ad media applicanda gratia ipsius appetatur propter se, quatenus scilicet non appetitur propter media; sicut media appetuntur propter ipsum aut gratia ipsius: cum quo bene stat, quod finis non ita appetatur propter se, quin orderetur ad aliud tanquam medium. Ad confirmationem dico, quod omnia fiunt gratia finis, in quantum omnia media, quæ applicantur ad consecutionem finis, fiunt gratia ipsius, non in quantum illud, quod est finis, non applicetur ad aliud, tanquam medium. Quod si Philosophus dicat, quod causa finalis non debet ulterius ordinari, ut aliqui existimant, exponendus est de causa finali ultima, vel negligenda est eius auctoritas.

15 Dices secundo: illud quod appetitur, ut medium ad aliud, quatenus sic appetitur, non habet propriam bonitatem, sed bonitatem illius, propter quod appetitur: ergo nequit mouere tanquam finis.

Respondeo primo distinguendo consequens; tanquam finis ultimus, concedo; tanquam non ultimus, nego consequentiam; sufficit enim, ut moueat tanquam finis, quod moueat sic, ut voluntas propter ipsum consequendum velit applicare media.

Respondeo secundo, negando antecedens: nam non potest negari, quin medicina ex natura sua intrinseca habeat conducentiam aliquam & utilitatem in ordine ad sanitatem acquirendam, quem non habent alia res, quæ non sunt medicinae; & quod huiusmodi conducentia sit bonitas utilis, & tale quod merito moueat voluntatem desiderantem sanitatem ad illam applicandam: cur enim aliàs applicaret medicinam potius, quam lapidem, aut unam medicinam potius quam alteram? Itaque hæc ipsa utilitas medij in ordine ad consecutionem finis, est ratio sufficiens, propter quam aliquis possit applicare alia media ad eius consecutionem, & propter quam consequenter possit habere rationem finis, non ultimi seu intermediij.

Dices adhuc: bonum utile, quia, non dicit ordinem, nisi ad illud, respectu cuius est utile: sed non est utile medij: ergo non dicit ordinem ad media, & consequenter nequit esse finis mediorum.

Respondeo distinguendo maiorem: non dicit ordinem, quia tale, ad media sic, ut deberet esse bonum mediorum aut medij, concedo antecedens: sic ut possit per media produci, nego antecedens; & concessa minore, nego consequentiam. Sicut enim ipsum bonum honestum, seu delectabile, quod potest constituere finem ultimum, non est bonum medij, sed illi cui appetitur, & tamen habet rationem finis respectu mediorum, quia per media acquiri potest: ita bonum utile, quamuis non sit utile medij, sed illi fini, propter quem acquirendum est utile; potest tamen habere rationem finis respectu mediorum conducentium ad eius productionem. Fateor quidem quod ex eo, quod sit bonum utile, non possit appeti, nisi appetatur illud aliud in ordine ad quod dicitur utile, sed quandoquidem tamen ipsummet acquiri possit per alia bona uti-

lia, potest habere rationem finis ob quem illa appetuntur.

QVÆSTIO III.

Utrum finis sit vera & realis causa.

Hæc adus disp. 13. de anima negare videtur finem esse causam realem & physicam: & idem sentire videtur Mastrius d. 7. art. 5. qui plures alios citat.

Communior sententia est finem esse veram & realem causam physicam. Ita tenet Suarez disp. 22. metaph. §. 1. Aversana qu. 13. §. 1. Complutenses disp. 14. quæst. 3. & plures alij.

CONCLUSIO.

16 Finis est vera & realis causa. Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam. Et probatur: quia vere & non per fictionem finis propositus per intellectum voluntati mouet voluntatem; & effectus, qui ordinatur ipsum, habet veram & realem dependentiam ab ipso si ut si finis non moueret voluntatem, voluntas non produceret illum effectum: sed nihil aliud præter hoc requiritur, ut sit causa realis & physica: ergo.

Dices: hoc totum, quod asseritur in maiori, posse esse verum, quamuis finis esset causa moralis tantum: sed causa moralis non est causa realis & physica: ergo falsa est minor.

Contra: quia causa moralis vel est illa, quæ non ex natura sua, sed ex ordinatione alicuius causæ extrinsecæ operatur, vel quæ per modum meriti aut demeriti obligat alteram causam ad ponendum effectum, quem aliàs posset ponere absque tali obligatione; vel illa quæ eatenus causat, quatenus iubet aut consilium alicui ponere effectum, quem aliàs ipsemet posset producere: nec est assignabile aliud genus causæ moralis: sed finis neutro ex his modis causat: ergo non debet dici causa moralis, nisi velimus quæstionem de nomine excitare, & uti nomine causæ moralis alio modo, quam communius Doctores uti consolent, quod inutiliter & male fieret.

Deinde: quamuis esset causa moralis, non sequitur, quod non esset causa realis hoc est habens actionem veram & realem, quod est intentum conclusionis: nam certè causæ etiam morales verè influunt, & non fite.

17 Obijciat: ad causam veram & realem requiritur, & quod ipsamet res, quæ talis dicitur, sit existens realiter, & causat, & quod habeat influxum verum & realem in effectum, respectu cuius dicitur causat: sed finis, quia finis, non debet existere realiter, ut patet in eo, qui habet pro fine sanitatem non existentem; & si aliquando existat realiter, hoc non est ex ratione causæ finalis ut sic, sed ex ratione particulari talis finis; nec etiam potest habere influxum realem in effectum, quia quod non existit realiter, non potest habere influxum realem: ergo non est causa realis.

Respondetur, negando maiorem pro prima parte: sufficit enim quod causet realiter, siue ipsamet sit realiter existens in se, siue non. Negatur verò minor pro secunda parte: quamuis enim non posset res non existens habere influxum realem, non intentionalem; bene tamen potest habere influxum realem intentionalem, si proponatur intentionali per cognitionem potentie appetitiuæ: id quod videtur valde conforme doctrinæ communiori Scotistarum dicentium, quod passionibus delectationis, tristitiæ & similes producantur in potentiis pure passivæ se habentibus ab obiectis propositis per intellectum; illa enim obiecta non necessario existunt realiter, quando causant illas passionibus, & si existant, non causant quatenus existunt, sed quatenus obiectivæ & intentionaliter proponuntur: ergo aliquid non realiter existens propositum intentionaliter potest causare aliquid realiter: imo non solum potest causare aliquid in genere causæ finalis, sed in genere causæ efficientis: nam sic causat bonum propositum delectationem, aut desiderium.

18 Obijciat secundo: Finis secundum Philosophum 1. de gen. non est actiuus, nisi metaphorice, & propterea satis communiter vocatur causa metaphorica: ergo non est causa

Finis est
vera & realis
causa.

Media habent propriam bonitatem.

Cur finis
occurat
causa meta-
phorica.

vera & realis ac Physica. Probatur consequentia, quia si esset talis, non deberet vocari metaphorica potius, quam causa efficiens.

Respondeo negando consequentiam cum sua probatione: vocari enim debet causa metaphorica, potius quam efficiens; quamvis non minus sit causa realis & vera, quia non causat, nisi intentionaliter propositus; quod si hoc non intendatur per causam metaphorica, negari deberet finis esse causa metaphorica.

19 *Obijciens* tertio: si finis causaret aliquid realiter, maxime actus voluntatis aut appetitus, nimirum intentionem finis, aut electionem mediorum: sed non influit realiter in hos actus, quia voluntas est causa adaequata suorum actuum: ergo finis nihil causat realiter.

Respondetur, negando minorem, & ad probationem dico voluntatem esse ad summum causam efficientem adaequatam suorum actuum, & causam etiam materialem, cum quo bene stat, quo concurrat cum ipsa ad illos producendos causa finalis. Posset etiam ita esse quod finis non inquit immediatè in illos actus, sed mediatè tantum, quatenus scilicet causat illas passionem delectationis aut amoris, qui praesupponuntur volitionibus, & nolitionibus voluntatis; si tamen semper aliqua ex illis passionibus praecedat omnem volitionem aut nolitionem; nam hoc supposito voluntas, ut excitata per illas passionem, posset se sola absque immediato influxu finis causare in se illas volitiones, & nolitiones. Quod si illae passionem non semper praesupponuntur, tum necessario dici debet quod finis concurrat cum voluntate immediatè ad producendos actus illos voluntatis.

QVÆSTIO IV.

Quenam sit causalitas finis in actu primo.

20 *Q*uemadmodum causa efficiens habet virtutem effectivam, à qua, etiam cum non efficit aliquid, habet esse potens efficere; & hæc virtus vocatur causalitas ipsius in actu primo: ita pariter causa finalis, etiam cum non finalizat, habet virtutem à qua potens est finalizare seu causare aliquid finaliter: & hæc est causalitas eius in actu primo. Rursus quemadmodum causa efficiens, quando actu causat, habet aliquid, à quo dicitur actu causare, quod vocatur causalitas in actu secundo, & est actio ipsius, ut supra resolvimus: ita etiam quando finis actu causat finaliter, debet habere aliquid, à quo habeat illam denominationem actualem actu causandi; & illud ipsum, quodcumque sit, est causalitas eius in actu secundo. *Quæritur* ergo hic, quidnam sit illud, quod est causalitas finis in actu primo: & questione sequenti quæremus, quid sit causalitas ipsius in actu secundo.

21 *Prima sententia* est ipsamet cognitionem seu apprehensionem finis esse virtutem causativam ipsius, seu causalitatem in actu primo. Hæc est *Socina* 5. *Metaphys.* quest. 7. *Medina* 1. 2. quest. 1. art. 1. & aliorum Thomistarum.

Secunda sententia est cognitionem esse quidem conditionem necessariam requisitam, ut finis possit causare; non esse tamen eam rationem causandi in actu primo, sed hanc esse vel bonitatem, vel etiam malitiam finis, quia utramque potest appetere voluntas. Hanc tenent *Nominales*, & ex *Scotistis* *Faber* 1. disp. 13. c. 7. & disp. 9. de penitentia c. 8. cum *Iribarne* & *Sghe*. quibus favere videtur ipsamet *Scotus* 1. d. 1. q. 1. & q. 4. ac in 1. d. 43. qu. 2.

Tertia sententia est, solam bonitatem esse virtutem causativam finis; neque enim existimant auctores huius sententiae voluntatem vilo modo posse amare malum, ut malum: sic Thomistae communiter, & nominatim *Complutenses* disp. 14. qu. 3. cum *D. Thoma* 1. 2. qu. 1. art. 1. & *Scotista* etiam ac nominatim *Lychet* 2. disp. 43. qu. 1. *Cancellus* de anima disp. 2. sect. 2. *Mastrius* disp. 7. qu. 8. art. 2. qui tamen putat probabile esse, bonum præfixum etiam habere posse rationem finis, & vocat bonum præfixum illud, quod secundum se ante actum voluntatis non apprehenditur sub ratione boni, sed habet tamen esse bonum ab ipso actu voluntatis ad ipsum terminato; ad

quod putandum movetur hic auctor propter loca *Scoti* faventia secundæ sententiæ.

CONCLUSIO I.

22 *C*ognitio non est causalitas finis in actu primo, sed conditio sine qua non possit movere. Hæc est communior eum secunda, & tertia sententia contra primam. Probatur prima pars: quia illud est causalitas finis in actu primo, à quo habet posse movere voluntatem ad amorem sui, seu à quo habet esse amabile: sed non à cognitione habet hoc, sed à sua perfectione aut bonitate: ergo cognitio nequit esse causalitas finis in actu primo. Probatur minor: quia certum est experientia, illud quod cognoscitur in fine esse id, à quo habet movere, & esse amabile; sed ipsamet cognitio non cognoscitur esse in ipso: ergo ab illa non habet movere tanquam à ratione formali. Probatur eadem minor secundo, quia ratione illius movet aliquem, quod est perfectio ipsius, aut alterius cui desiderat finem, & secundum quod desiderat consequi finem, & quo adeptio satiatur, si finis sit satiatus: sed non ratione cognitionis est perfectio, neque desiderat ipsam cognitionem, nec finis ratione cognitionis satiatur, ut patet: ergo cognitio non potest esse virtus motiva.

Confirmatur: quia ideo potissimum cognitio esset virtus motiva, quia non movet finis nisi habeatur cognitio: sed hoc non sufficit ad hoc ut dicatur cognitio esse talis virtus, quia posset esse talis dependentia à cognitione, quamvis cognitio esset tantum conditio sine qua non, ut patet de approximatione, & aliis conditionibus sine quibus non.

Probatur secunda pars experientia: quia nunquam movemur à fine nisi cognito, & quia finis non causat nisi intentionaliter, hoc est dependenter à cognitione: ergo quandoquidem cognitio non sit ratio formalis motiva debet ad minus esse conditio sine qua non: sed nec de hac parte potest esse vna controuersia, supposita prima parte.

23 *Obijciens* primò: ab illo habet finis esse causa finalis in actu primo, seu potens movere, à quo habet esse prius effectus: sed à cognitione habet esse prius, quandoquidem secundum esse suum reale saepe sit posterius effectui quem causat: sanitas enim, quæ movet ad applicanda media acquirenda sanitatis, est posterior realiter quoad esse existentia quam ipsamet media, quandoquidem per illa realiter causetur.

Respondeo negando minorem: nam à seipso habet finis esse prius quoad essentiam, quam effectus ipsius sint quoad esse existentia; nec refert quod sit posterior effectibus quoad esse existentia suum, quia non causat illos effectus ut existit realiter. Quod si velit obicere, finem habere à cognitione, quod applicetur voluntati prius quam voluntas causet effectus finis cum fine, verum quidem est; sed inde tantum habetur, quod illa cognitio sit conditio sine qua non applicativa finis, quod asseritur in secunda parte conclusionis.

Obijciens secundo: diuersitas specifica actuum procedentium à fine debet procedere à virtute causativa ipsius; sed ob apprehensionem variatam oriuntur actus distincti specie à fine; ergo apprehensio est virtus causativa finis.

Probatur minor: quamvis finis secundum se esset honestus, si apprehensio habeatur de ipso sub ratione inhonesti, actus erit inhonestus, & contra: ergo ab eodem fine ob varietatem apprehensionum procedunt varij specie effectus.

Confirmatur primo, quia idem malum, apprehensum ut præsens, causat tristitiam, ut futurum, timorem: ergo varietas apprehensionum sufficit ad varietatem effectuum.

Confirmatur secundo, eadem ipsa bonitas diuina cognita per fidem movet ad amorem specie distinctum ab illo, ad quem movet eadem bonitas cognita per visionem beatificam: ergo varietas cognitionum sufficit ad varietatem effectuum, & consequenter cognitio erit ratio motiva, & non conditio sine qua non, quia non videtur solam variationem conditionum sine quibus non sufficere ad effectuum varietatem specificam.

Respondetur, distinguendo minorem: ob solâ varietatem cognitionis,

cognitionis, nego minorem: ob illam varietatem quatenus cum illa coniungitur varietas in ipso obiecto, seu sine, concedo minorem. Ad cuius probationem dico, quod quamvis à parte rei non mouetur obiectum, sed semper habeat eandem rationem, tamen variatur in apprehensione quoties ita variatur cognitio, ut una proponat ipsum per modum honesti, & altera per modum inhonesti; neque enim posset talis variatio esse in cognitione, quin esset talis variatio ex parte obiecti in apprehensione, ut est evidens. Vnde diuersitas actus non provenit à cognitione, nisi tanquam à proponente, & provenit ab obiecto, propter diuersitatem rationis, quæ in ipso consideratur.

Ad primam confirmationem respondeo, distinguendo consequens: ex se præcisè absque variatione obiecti in apprehensione, nego: quatenus cum ea coniungitur varietas ex parte obiecti, transeat.

25 Ad secundam confirmationem respondeo primo, non quamcumque varietatem etiam specificam cognitionum sufficere ad varietatem, seu distinctionem specificam amorum sequentium: alias amor naturalis hominis cogniti per fidem humanam esset distinctæ speciei ab amore ipsius cogniti per opinionem probabilem, aut per discursum certum, quod videtur falsum.

Respondeo secundo, negando secundam consequentiam: quia sicut ignis applicatus in tali distantia potest producere ignem, & in alia maiori non posset producere ignem, sed alium effectum distinctæ speciei, verbi gratia, calorem; cum tamen applicatio illa non sit aliud, quam conditio sine qua non; ita etiam variatio cognitionum, quamvis sit tantum conditio sine qua non, posset sufficere aliquando, ut amores essent distinctæ speciei; & hoc maxime locum habet, quando obiectum amoris sit causa libera, quæ posset ad talem cognitionem amorem vnius speciei producere, & ad aliam cognitionem amorem alterius speciei, ut accidit in casu confirmationis. Reuera autem existimo, à sola variatione conditionis applicantis, nisi cum illa aliquid aliud coniungatur, non posse fieri ut eadem causa naturaliter agentes possint producere effectus distinctæ speciei, licet possit sine dubio oriri inde, ut possint effectus produci citius, aut cum maiori intentione. Quod autem ignis producat calorem ubi non possit producere ignem, inde accidit, quod in tali distantia, licet possit producere aliquid caloris, non tamen tantum, quantum requiritur tanquam dispositio ad formam ignis; quod si posset tantum in quacumque distantia, posset etiam & ignem. Et si queratur tum, unde oriatur distinctio amoris beatifici & amoris supernaturalis viæ?

Respondeo, quod posset oriri ex eo; quod charitas viæ & patriæ distinguantur specie. Posset etiam oriri ex eo, quod Deus ipse in se proponatur in patria, in via autem non proponatur in se, sed in specie aliqua confusa abstracta à creaturis; Deus autem, ut in se, est distinctæ rationis obiectivè à seipso, ut propositus in specie.

CONCLUSIO II.

26 **Sola bonitas illa, quæ apprehenditur in fine, est ratio motiva ipsius ac causalitas eius in actu primo.** Hæc est tertia sententia: & probatur: quia illud solum est talis causalitas eius, quo mediante potest excitare ad amorem, & propter quod potest appeti ac amari: sed hoc est bonitas sola: ergo bonitas sola est causalitas eius in actu primo.

Probatnr secundo, quia malitia, qua talis, non potest excitare voluntatem ad amandum, seu appetendum: ergo sola bonitas potest sic excitare. Probatnr antecedens; quia sequeretur, quod malitia esset bonitas, & non esset bonitas: non esset quidem, ut supponitur; esset autem, quia constitueret obiectum amabile & appetibile: illud autem, quod sic constituitur est bonitas; cur enim aliquid potest dici potius bonitas, quam id, quod sic constituitur?

Confirmatur, quia Philosophus 1. Ethic. Ansel. de l. arb. & Dionysius de divinis nominibus, describunt ipsum bonum esse, quod omnes appetunt: quæ descriptio non valeret, si aliquid appeti posset, quod non esset bonum.

Deinde iidem dicunt neminem aspicientem ad malum operari: quod esset falsum, si malum, ut malum posset appeti aut amari.

Confirmatur secundo, quia quamvis voluntas ex libertate sua posset velle malum, ut malum, tamen omnino incredibile videtur, quod malum, ut malum, ipsam ad hoc excitet aut moveat: ergo adhuc, quamvis illud esset verum, malum qua tale non posset mouere finaliter: sed ideo potissimum asseritur malitiam, qua talis est, posse esse causalitatem finis, quia voluntas posset malum, qua tale, velle: ergo, cum hoc ipsum, quamvis esset verum, non sufficiat, sequitur malitiam non posse esse virtutem motivam finis aut causalitatem ipsius in actu primo.

Confirmatur tertio, quia non obstante libertate voluntatis tam in exercitio, quam in specificatione, posset esse sic determinata, ut non posset villo modo velle malum, qua malum, nec nolle bonum qua bonum; ergo cum non habeatur aliqua experientia aut ratio in oppositum, & communis sententia confirmata auctoritate Patrum ita sentiat, id longe probabilius est dicendum.

27 Dices, maiorem futuram esse libertatem voluntatis, si posset etiam malum velle, & nolle bonum: ergo danda est ipsi illa perfectio maioris libertatis, si non implicet.

Respondeo negando consequentiam, quia non debemus maiorem libertatem aut perfectionem ipsi concedere, quæ ratione aut auctoritate aut experientia possumus colligere competere ipsi. Videri autem posset implicare contradictionem, quod posset velle malum qua malum; aut nolle positivè bonum qua bonum, quia volibile, qua volibile est essentialiter bonum, & nolibile, qua nolibile, est esse, essentialiter malum. Scotus autem in locis fauentibus aduersariis, solum loquitur dubitative & absque vlla resolutione, ut patet ex contextu. In primo autem loco nihil prorsus dicit, quod faueat aduersariis: quamvis enim dicat voluntatem posse sibi præstituerè finem pro sua libertate, qui reuera non sit finis, loquitur de fine ultimo, & solum vult quod voluntas possit, si velit, præstituerè sibi pro fine ultimo aliquid, quod reuera finis ultimus eius non est; non dicit autem, quod illi finis ultimus non debeat habere aliquam bonitatem, ratione cuius ipsum possit voluntas appetere, imo expresse innuit oppositum.

28 Obiicies: eadem est potentia contrariorum: ergo voluntas potest tendere in bonum & malum, quæ sunt contraria, & consequenter malum potest esse causalitas in actu primo, respectu illius actus voluntatis, quo tenderet in illud.

Respondeo, distinguendo consequens primum: potest tendere per amorem in vtrumque, aut per odium, nego: per amorem in bonum, & per odium in malum, concedo primam consequentiam. Et ad secundam consequens dico primo cum Scoto 2. d. 6. q. 2. causalitatem, quæ movet voluntatem ad fugam mali, esse bonitatem, cui illud malum opponitur; ideo enim moveretur ad fugiendum malum aliquod, quia amat bonum aliquod, cui illud malum opponitur aliquo modo: & iuxta hoc neganda esset secunda consequentia.

Dico secundo, ipsammet malitiam posse esse sufficienter motivam ad odium absque villo amore explicito boni vilius, & iuxta hoc concedi potest ultima consequentia; nec faciat contra conclusionem, quia in ea loquimur de causalitate finis in ordine ad actus perfectionis, non in ordine ad actus fugæ.

29 Obiicies secundo: experientia constat, quod velimus malum inimicis, quatenus malum ipsorum est, & multi inferunt sibi mortem, quam apprehendunt ut malum: ergo possumus tendere in malum sub ratione mali.

Respondeo negando consequentiam, quia illud ipsum malum inimicorum, licet consideremus ipsum, ut malum ipsis, tamen etiam consideramus ut bonum nobis, aut aliis, quod illud malum accidat ipsis, & ratione huius bonitatis volumus illud. Similiter qui inferunt sibi mortem, apprehendunt mortem per modum boni, quia per modum alicuius, quod liberat eos à malis aliquibus præsentibus aut imminutibus; aut per modum medij ad vindicandum se de aliis, de quibus vindicare se existimant.

esse sibi ipsis bonum, etiam cum præiudicio vite.

Obijciens tertio: Si aliquis apprehendat odium Dei absque errore vilo per modum mali, nullam habentis rationem boni, vel voluntas poterit ipsum velle, vel non poterit: si poterit, habetur intentum, quod possit scilicet amare malum qua tale: si non, ergo non erit liberum ipsi omittere illud odium, sed necessario nolet ipsum.

Respondetur voluntatem in casu illo non posse elicere odium Dei: si non posset habere puram omissionem non esset inconueniens quod in tali casu necessario nollet odium Dei; at si posset, ut communius Scotistæ tenent, habere puram omissionem, quamuis necessario omittere debeat illud odium, non tamen necessario debet ipsum nolle; quia poterit suspendere se à nollitione positiua, & mere negatiue se habere circa ipsum; quod sufficit ut libere se habeat circa illud odium, quamuis necessario debeat ipsum non habere.

CONCLUSIO III.

Bonitas præfixa non potest sufficere pro causalitate finis.

Bonitas præfixa non potest sufficere pro causalitate finis in actu primo, est contra *Mastrium & Montepilosum*. Intellego autem per præfixam bonitatem, illam, quæ ab ipsamet voluntate amante finem desumeretur, & non appareret in fine ante actum voluntatis: sic enim explicat *Mastrius*, ut ante dixi.

*Probat*ur, quia finis ante actum voluntatis debet habere virtutem, qua possit mouere voluntatem, & excitare ad talem actum: sed non potest per aliquid sequens actum voluntatis mouere aut excitare ad actum: ergo nihil sequens talem actum potest sufficere pro tali causalitate.

Dices cum *Mastrio* intellectum concipere posse malum, ut malum, & concipere etiam posse bonitatem in se, ac posse voluntatem applicare illam bonitatem isti malo, & sic præfigere sibi malum pro fine.

Sed contra primo: per hoc quod voluntas velit aliquid esse bonum, quod non est bonum, nec concipitur ab intellectu ut bonum, non sequitur quod illud sit bonum, ut manifestum est: ergo per hoc quod voluntas applicaret bonitatem apprehensam malo apprehenso, non sequitur quod illud malum esset bonum.

Contra secundo: malum illud non habet rationem finis, antequam habeat rationem boni, & quamuis habeat rationem boni, non poterit mouere voluntatem per modum boni, antequam apprehendatur ab intellectu ut bonum, quia talis apprehensio est ad minus conditio necessario requisita, ut moueat: ergo debet sequi applicationem voluntatis, qua applicat bonitatem malo cognito, qua facta illa applicatione, cognoscatur malum istud esse bonum, & postea tantum illud malum poterit exercere rationem finis; sed tum non exercet rationem finis ut malum, sed ut bonum: ergo bonitas præfixa per voluntatem non potest sufficere pro causalitate finis, respectu istiusmodi actus, quo præfigitur. Quod si velint aduersarij voluntatem posse aliquid malum habere pro bono, & postea illud tanquam tale amare.

Contra illud, quod primo dixi, non apparere qua ratione posset voluntas habere pro bono illud, quod non ostenditur ipsi ab intellectu esse bonum; nec quomodo possit tribuere bonitatem illi, quod cognoscit esse malum, & cuius malitiam auferre non est in manu sua.

CONCLUSIO IV.

Bonitas finis non debet esse realis.

Bonitas illa, quæ est causalitas finis, aut etiam medium, hoc est illa, secundum quam mouet voluntatem ad amorem sui, non debet esse realis, id est realiter existens; nec etiam debet esse possibilis: in re: sic scilicet, quod possibile sit finem cui posse acquirere finem cuius gratia, aut quod possibile sit media habere à parte rei illam utilitatem, quæ apprehenditur in ipsis; imò nec illa bonitas secundum se debet esse possibilis, abstrahendo à fine cui, aut subiecto tali, aut mediis talibus. Hæc in re debet esse communis.

Pater prima pars: quia quando amamus nobis sanitatem, quam non habemus, per modum finis, certum est, quod illa sanitas non sit existens à parte rei: ergo non re-

quiritur, quod bonitas finis sit realiter existens. Et idem patet de mediis non existentibus, quæ tanquam media amamus, antequam existant, & propterea producimus à parte rei.

Pater etiam secunda pars: quia quamuis sit impossibile, quod equus cognoscat cognitione intellectiva à parte rei, si aliquis tamen iudicaret per errorem, quod esset ipsi possibilis, posset moueri ad eam desiderandam ipsi tanquam finem, ut patet experientia. Et quando medicus considerat aliquam medicinam, ut vtilem pro aliqua infirmitate, quæ reuera inutilis est, & per quam impossibile esset infirmitati illi succurrere, adhuc mouetur ab illa utilitate apprehensa ad eam applicandam: ergo bonitas à parte rei impossibilis potest sufficere, ut finis, & media possint mouere.

Tertia etiam pars patet; quia æqualitas cum Deo, casu saltem quo Deus non esset trinus (quod addo, quia supposita Trinitate Pater est æqualis Filio, & hic Spiritui sancto) esset etiam secundum se impossibilis, & non solum impossibilis homini: sed illa æqualitas posset apprehendi ut possibilis per iudicium erroneum; & sic apprehensa posset mouere per modum finis.

Ex quibus omnibus patet, bonitatem, quæ est causalitas finis, esse bonitatem abstrahentem à bonitate reali, & impossibili; non quod possit dari vlla vna talis vniuocæ abstracta ab illis; sed quod indifferenter voluntas possit moueri à bonitate reuera reali, & etiam à bonitate reuera impossibili, modò tamen hæc non cognoscatur ut talis: si enim cognosceretur ut talis, quamuis forte posset mouere ad simplicem complacentiam, & desiderium aliquid inefficax, non tamen ad amorem efficacem aut desiderium efficacem; ex quo sequeretur consultatio, electio aut applicatio mediorum: quis enim vellet applicare media ad consecutionem illius, quod absolute iudicaret impossibile?

QUESTIO V.

Quid sit causalitas finis in actu secundo?

Varij etiam sunt modi dicendi de causalitate finis in actu secundo, seu de eo, à quo formaliter denominatur actu causare effectum, respectu cuius dicitur finis.

32 Conimbricenses 2. Phys. c. 7. existimant causalitatem finis consistere in motione quadam antecedente actionem efficientis, per quam mouetur efficiens ad illam actionem habendam. *Hervæus* quod l. quæst. 8. dicit eam consistere in communicatione appetibilitatis ac utilitatis mediis. *Suarez disputat. 23. sect. 4.* & alij plures dicunt eam consistere in actione agentis, quatenus sit propter finem. *Mastrius quæstione 3. art. 3.* dicit eam consistere in motione, qua actu mouet finis agens ad agendum, & postea explicat hanc motionem in re non esse aliud quam actionem agentis, ut in gratiam finis factam: formaliter verò dicere imputationem illam, qua in genere moris effectus fini imputantur; unde non est entitas realis, nec absoluta, nec relatiua, sed potius moralis. *Arriaga disputat. 8. sect. 7.* dicit causalitatem finis circa complacentiam de fine ac possessione eius, ac electionem mediorum esse hos ipsos effectus, ut habiti dependentes à cognitione finis: causalitatem verò eius circa executionem mediorum esse, & intentionem finis & electionem mediorum, & ipsamet executionem externam; non verò vllam ex illis seorsum sumptam.

CONCLUSIO I.

Causalitas finis in actu secundo non consistit in communicatione appetibilitatis bonitatis aut utilitatis mediis. Hæc est communis contra *Hervæum & probatur primo*, quia media ex seipsis habent suam appetibilitatem, & bonitatem, ut supra dictum est: quamuis enim non habeant bonitatem talem, qua media sunt, propter quam possent appeti propter se aut vilo modo, nisi appeteretur finis; tamen habent ex seipsis talem bonitatem, ob quam ex suppositione, quod appeteretur finis, possent appeti; & sane aliàs omnia media æquè deservirent ad finem, quod est absurdum.

*Probat*ur

Probatur secundo, quia media habent bonitatem ac utilitatem suam, siue à se, siue à fine, antequam finis moueat efficiens actu, ergo causalitas finis, quæ mouet actu efficiens, de qua modo agimus, non potest consistere huiusmodi communicatione appetibilitatis ac bonitatis.

Adde, non explicari ab Heruzo, in quonam formaliter consistit hæc ipsa communicatio, in qua ponit causalitatem finis: unde quamuis in ea consisteret, adhuc non satis bene explicaret naturam huius causalitatis.

CONCLUSIO II.

Causalitas finis non consistit in actione efficientis ut ordinata ad finem, nec in effectu ipso ut habito propter finem. Hæc est contra *Suarium* & *Arriagam*, & probatur: quia sine dubio consistit in motione, quæ actu mouet efficiens ad agendum propter finem: sed illa motio non consistit in actione aut effectu; non quidem in actione, quia causalitas finis potius debet esse in ipso fine subiecta, quam in efficiente; actio autem subiectatur in efficiente. Non etiam in effectu, quia effectus posset esse à solo Deo absque concursu efficientis aut finalis, & idem effectus, qui est ab vno fine, posset esse ab alio & non ab illo: ergo causalitas, quæ sit ab vno fine, non identificatur illi; & quia causalitas causæ potius debet esse in ipsa causâ quam in alio, ut iam dixi, & patet ex dictis in Logica de Actione.

CONCLUSIO III.

Causalitas finis consistit in motione ac determinatione formali obiectiua, quæ mouet voluntatem ad agendum, quæ motio & determinatio non est respectus vllus, nec aliquid positum distinctum ab ipso nec fine proposito per potentiam cognitiuam. Hæc est iuxta *Conimbricenses*: & probatur prima pars primo, quia communiter dicitur, quod finis sit prima causarum; sed hoc non potest tam bene saluari in vlla alia sententia, quam si dicatur causalitas ipsius consistere in illa motione, ut ex se patet, quia non potest esse prima, nisi quatenus prius causat; sed non potest prius causare, nisi quatenus causat mouendo: ergo mouendo causat.

Dices, finem esse primam causarum, non quod prius causat, sed quod sit dignior cæteris.

Contra, quia non potest esse dignior cæteris, nisi quatenus causat mouendo efficiens: ergo causat mouendo: sed non potest causare mouendo, nisi quatenus prius causat; nec potest prius causare nisi quatenus causalitas ipsius consistit in illa motione, ac determinatione: ergo consistit in illa.

Probatur secundo, quia certum est experientia: prius natura moueri voluntatem à fine ad effectus, quos producit gratia finis, quam producat illos effectus; & certe si non prius moueretur, non posset dici, quod moueretur magis à fine, quam finis moueretur per ipsum; & vniuersaliter quotiescumque duæ causæ concurrunt ad effectum, quarum neutra habet causalitatem prius, quam altera, tunc non potest dici vere quod vna moueat alteram, sed debet dici, quod vtræque vel determinant se, vel determinentur simul: ergo datur huiusmodi motio, & quidem antecedens actionem efficientis sed ex suppositione quod datur, nihil impedit quominus sit causalitas finis; & frustra omnino requireretur aliqua alia causalitas: ergo causalitas finis consistit in illa causalitate.

36 Probatur secunda pars: quia nihil impedit quin finis propositus seipso absque vlllo respectu determinet voluntatem: ergo motio, quæ mouet, non debet dicere aliquem respectum.

Probatur secundo, quia si motio, quæ mouet, esset aliquis respectus deberet esse respectus terminatus ad effectum, vel ad voluntatem, ut est euident, sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, tunc quia prius mouet quam producat effectus; tum quia hoc præcise, quod haberet respectum terminatum ad effectum, non diceretur mouere voluntatem: ergo ut moueat voluntatem, debet aliquid aliud esse in ipso præter respectum illum. Probatur etiam minor quoad secundam partem: quia pos-

hoc, quod haberet respectum terminatum ad voluntatem non moueret voluntatem formaliter, nec voluntas moueretur formaliter à fine.

Confirmatur: quia illud, per quod mouemur formaliter, est quod proponitur nobis, & illud ipsum est, quo sentimus nos moueri: sed respectus ille non proponitur nobis, nec sentimus nos illo moueri: ergo respectus non est quo mouemur.

Aduertendum autem hic, quod, quando dico finem mouere formaliter seipso, & non mediante aliquo respectu, hoc intelligendum de fine, quando immediate mouet; non vero quando mouet mediate, ut si moueret quatenus causaret delectationem in voluntate, tunc enim posset dici causare per respectum, quo produceret illam delectationem.

Probatur tertia pars: quia nullum est iudicium alicuius absoluti alterius, quæ esset causalitas.

Obiicitur: causalitas finis non potest esse, nisi quando causat efficiens effectum finis: causalitas enim infert secum effectum suum: sed motio illa sæpe habetur, quando non est effectus: ergo motio illa non est effectus. Probatur minor tum experientia, tum quia quando proponitur bonum delectabile, & bonum honestum, & aliquis sequitur cum difficultate bonum honestum, tunc mouetur à bono delectabili, & ex illa motione oritur illa difficultas, quam habet in prosecutione boni honesti: sed tum non est aliquis effectus istius boni delectabilis productus à causâ efficiente: ergo motio illa finis habetur quandoque absque effectu, qui producitur à causâ efficiente.

Confirmatur: quia causa finalis est causa partialis essentialiter subordinata causæ efficienti: ergo nequit habere causalitatem, quin causa efficiens habeat causalitatem; sed potest habere illam motionem sine causalitate efficientiæ: ergo illa motio non est causalitas eius.

Respondetur distinguendo maiorem: non potest esse sub denominatione causalitatis, concedo maiorem: secundum se, & quoad omnia intrinseca, quæ dicit, nego maiorem; & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

Ad confirmationem, eodem modo distinguo consequens: sub denominatione causalitatis, concedo consequentiam; secundum entitatem suam intrinsecam, nego consequentiam.

Dices: causalitas causæ efficientis aut materialis non potest esse, quin habeat determinationem causalitatis: ergo nec finis: & consequenter, si motio illa potest esse absque denominatione causalitatis, non potest esse causalitas.

Respondeo negando consequentiam; quia quandoquidem causa finalis ex ratione sua particulari habet causare mouendo, propterea debet etiam ex ratione sua particulari habere, quod possit habere motionem suam absque eo, quod causa efficiens producat aliquid; & consequenter non est inconueniens, quod causalitas eius quoad omnia intrinseca possit esse absque causalitate aliarum causarum.

Et quia reuera non habet alium influxum in effectum præter istam motionem, quæ reuera non tendit in effectum per aliquem respectum realem actuale, propterea credo quod finis vocetur causa metaphorica, non quod moueat realiter intentionaliter efficiens, sed quod non habet aliquem influxum tendentem in effectum præter motionem illam efficientis.

CONCLUSIO IV.

37 Si causalitas finis consistit in respectu intentionali, quo concurrens cum voluntate ad producendos illos effectus, quos causat, erit realis. Hæc est contra *Mastrium*.

Probatur quia ille respectus reuera daretur à parte rei independentem ab omni operatione intellectus aut potestatis vllius potentis facere ens rationis: ergo esset realis: nihil enim aliud requiritur ad ens reale.

Conf. quia terminus eius est realis: & fundamentum etiam ac ratio fundandi: ergo nihil deest ad realitatem eius.

Dices cum Maestro, sufficere quod dicatur esse moralis.

Contra

Si consistit in respectu intentionali, erit realis.

Contra, quia ille respectus, quem vocas moralem, vel est aliquid positivum, quod est à parte rei, vel non est: si est à parte rei, ergo est realis, prout ens reale opponitur enti rationis, siue vocetur postea moralis, siue non.

Deinde non video cur vocari commode possit moralis, cum ex natura intrinseca causæ finalis sequatur absque ulla ordinatione aut æstimatione voluntatis alicuius.

38 *Obijcies*: Fundamentum istius respectus est ipsamet causa finalis cum sua bonitate: sed ut plurimum causa finalis non existit realiter, & aliquando est aliquid impossibile: ergo non potest respectus ille esse realis, quia quod non est reale, non potest fundare aliquid reale.

Propter hanc difficultatem, *P. Fuentes* concedit causalitatem finis esse respectum realem tum solum, quando actualiter existit.

Sed certe si non sit realis quando actualiter non existit, non erit talis, quando realiter existit, quia quamvis realiter existat, hoc tamen est omnino impertinens ad causationem eius, nam non causat, nisi ut cognitus, & possit eadem cognitione, qua cognoscitur quando actualiter existit, cognosci, quamvis non sic existeret, & ut sic cognitus eodem modo mouere efficientem; ergo existentia realis eius est impertinens ad influxum ac motionem eius; & consequenter, si influxus eius ac motio non est realis, quando non existit, nec erit realis quando existit: absurdum enim esset quod aliquid conduceret ad realitatem respectus, quod est impertinens ad ipsum.

Respondeo ergo aliter distinguendo minorem pro prima parte: non existit realiter secundum esse suum proprium, & physicum, concedo minorem; secundum esse suum intentionale, nego minorem. & consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod illud quod non est reale secundum esse suum proprium, & physicum, nequeat fundare aliquid reale, nisi existat intentionaliter; sed si existat intentionaliter, bene potest ut sic existens fundare aliquem respectum realem. Finis autem semper quando causat, existit intentionaliter, unde potest causare aliquid intentionaliter: & quia non causat nisi ut sic existens, propterea dixi in conclusione, quod respectus realis, in quo consistit causalitas finis, sit respectus interioralis. Sicut ergo illud, quod existit obiective in intellectu, mouet voluntatem, & causat in ipsa delectationem in genere causæ efficientis, siue totalis siue partialis, quamvis illud non existeret à parte rei, nisi solum in intellectu, non video cur non posset fundare aliquem respectum realem.

39 *Dices*: illud esse obiectivum, quod habet finis in intellectu, non est esse reale: ergo nequit fundare respectum realem.

Respondeo distinguendo antecedens; non est reale physicum, quale sufficeret ad producendas alias operationes præter intentionales, concedo, non est reale intentionale, quale sufficit ad producendas operationes intentionales, nego antecedens.

Quod si videatur difficile quod ipsemet finis fundet relationem realem, dici poterit non esse ipsum finem, qui fundat illam, sed speciem impressam suppletentem locum finis. Quæ admodum enim licet dicatur cognitio produci ab obiecto, & intellectu, tamen non est ipsummet obiectum secundum se, quod causat ipsam, sed quandoque species impressa supplet locum eius, & quæ propterea dicitur vicaria obiecti: Ita, quamvis dicatur finis mouere, & fundare huiusmodi respectum, non tamen est necesse quod secundum se immediate moueat aut fundet ipsum; sed sufficit quod id faciat mediante specie impressa obiective ipsum representante. Iuxta quod potest

Responderi secundo ad obiectionem, concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam, ac distinguendo eius probationem: quod non est quid reale, non potest secundum se immediate fundare relationem realem nec mouere realiter, transcat: non potest fundare talem respectum, & sic mouere mediante aliquo alio quod sit reale, & supplet locum eius, nego. Hæc responsio est facilis & in re conueniens cum priori responsione.

QVÆSTIO VI.

De effectibus Finis.

41 *Plures effectus* producuntur, qui respiciunt finem, nempe ipsamet delectatio; quam, quando proponitur, causat in voluntate; amor seu desiderium eum consequendi, consultatio de mediis opportunis ad eius consecutionem; electio vnius medij præ alio, applicatio eiusdem, complacentia de eius consecutione; quibus addi possent alij plures, sed ex dicendis de his, de reliquis etiam quid dicendum facile constare poterit.

CONCLUSIO I.

Consultatio de mediis, electio, & executio seu applicatio mediæ sunt effectus finis. Hæc est communissima, & probatur, quia finis mouet efficiens ad hos effectus producendos: ideo enim consultat de mediis, & medium electum applicat, quia amat finem, & desiderat eum consequi: sed nihil aliud requiritur, ut sint effectus finis.

Confirmatur: Finis habet rationem causæ, quia est illud, gratia cuius aliquid fit: ergo quicquid fit gratia finis, seu ob amorem finis, vel in ordine ad illum acquirendum, debet dici effectus eius: sed consultatio, electio, & applicatio prædicta sunt gratia finis, seu in ordine ad eum acquirendum, ergo sunt effectus finis.

41 *Obijcies*: Si finis esset causa respectu horum effectuum, vel si hi effectus essent effectus finis, deberet finis habere causalitatem aliquam immediate terminatam ad illos: sed non haberet: ergo, Probatur minor; quia eo ipso, quo causatur desiderium finis, ac amor eius, quamvis finis nullam aliam vltiorem causalitatem haberet, illi effectus producerentur ab efficiente: ergo non dependet ab ulla causalitate immediata finis.

Respondetur negando maiorem, sufficit enim quod moueat formaliter efficiens vel seipso, vel mediante delectatione, vel amore in ipso causato.

CONCLUSIO II.

42 *Mor finis, seu desiderium eius non est effectus finis, ut finis.* Hæc videtur mihi Doctor. q. 4. Prol. n. 11. quamvis ab aliis citetur pro opposito. Eam tenet *Fuentes* hic q. 7. n. 21. Velf. 1. 2. q. 1. d. 3. c. 2. Lorca d. 3. & alij plures contra *Suarium* disp. 23. met. sect. 3. *Ruminum* tract. de causa finali. *Arriagam* disp. 8. n. 74. & alios quos sequitur *Mastrinus* disp. 7. q. 8.

Probatur primo, quia finis non habet rationem finis, nisi quatenus est id, cuius gratia aliquid fit, seu ob cuius amorem aliquid fit, ut patet ex ipsius definitione. Et hinc Doctor supra ait, quod finis non est causa, nempe finalis formaliter loquendo, nisi in quantum amatus ac desideratus mouet efficiens ad efficiendum: sed non mouet, in quantum amatus ac desideratus, ad ipsum amorem & desiderium primum, quod habetur de ipso (de quo amore ac desiderio modo loquimur) ut patet, ergo non habet rationem causæ finalis formaliter loquendo, quatenus mouet ad illum amorem ac desiderium.

43 *Dic*: illud cuius gratia positum in definitione, finis non debere intelligi, ut nos intelligimus, ita sc. ut sensum sit, quod sit illud, ob cuius amorem aliquid fit; sed sensum esse, quod finis sit illud, ob cuius bonitatem aliquid fit.

Contra, quia quod aliquid fieret ob bonitatem finis, nisi fieret ob bonitatem eius amatam, & in ordine ad finem acquirendum ac perficiendum ordinaretur, non sufficeret ad hoc, quod diceretur fieri à fine in alio genere causæ, quam in genere causæ efficientis: ergo male explicatur in replica illud cuius gratia. Probatur antecedens; quia illud quod fit ob veritatem propositam intentionaliter, nempe cognitio tendens in illam veritatem, non fit à veritate aut ab obiecto vero in alio genere causæ, quam in genere causæ efficientis: ergo nec amor ille, qui causatur ab obiecto ob bonitatem ipsius, & nominatur ad ipsum ut ad obiectum, debet dici fieri ab ipso in alio genere causæ quam in genere causæ efficientis. Consequentia patet à paritate rationis.

Dices,

Dices, disparirarem esse, quod cognitio veritatis non determinet ad applicationem mediorum, sicut amor finis: unde quomodo illa cognitio non fiat à veritate, nisi in genere causæ efficientis, amor tamen fiat à bonitate in genere causæ finalis.

Contra: ergo saltem ille amor præcise & abstrahendo à mediis non causatur finaliter à bono, nec bonum, quatenus præcise causat illud; aut debet dici causa finalis, quod est nostrum intentum. Hoc concedunt ex adversariis aliqui, quia dicunt amorem illum solum non esse effectum finis, sed ut coniungitur cum voluntate mediorum. Sed certe si secundum se solum non est effectus, neque erit effectus finis non obitante, quod coniungatur cum illa voluntate mediorum, quia eodem modo influat finis in illum, quando sic coniungitur, ac influeret, si per impossibile aut possibile nunquam cum illa coniungeretur, aut posset coniungi.

45 *Probat*ur secunda conclusio: quia voluntas non ordinat suum amorem ad bonum, nisi quatenus ipsemet amor est formaliter ex natura sua ordinatus ad illum tanquam ad obiectum: sed hoc non sufficit, ut dicatur ordinare illum ad obiectum tanquam ad finem, seu causam finalem, quia alias cognitio, quæ ordinatur ad illud, in quod tendit, tanquam in obiectum, ordinatur ad illud tanquam ad causam finalem, quod nemo dicit.

Confirmatur: quia bruta feruntur amore sensitivo in bonum delectabile; & tamen secundum multos ex adversariis non feruntur in ipsum, tanquam in finem; nec amor ille causatur ab ipso, tanquam à causa finali, sed tanquam à causa efficienti: ergo non sufficit, quod voluntas habeat amorem boni propositi ordinatum ad ipsum ex natura sua ad hoc, ut dicatur tendere in illud tanquam in finem, aut ut illud dicatur esse causa finalis istius amoris.

46 *Obijci*es primo ex *Mastrio*: Scotus d. 2. q. 1. ait omne infinitum, id est, illud, quod non habet finem pro causa, esse incausabile, ergo quidquid est causabile habet finem: sed amor finis est causabilis, cum causetur de facto: ergo habet finem: non alium quam obiectum, quod respicit, ergo habet obiectum pro fine. Probat'ur maior, non solum autoritate Scoti, sed ratione ipsius: omne agens per se habet aliquid finem in agendo: ergo quidquid causat debet causare propter illum finem, & consequenter si sit aliquid, quod non habet finem debet esse incausabile.

Confirmatur: quia in 2. dist. 4. ait idem *Scotus*, omnes actus humanos habere finem: sed amor primus ipsius finis est actus humanus: ergo habet finem: non alium quam ipsam finem, cuius est amor: ergo.

Respondet primus, Scotum posse intelligi de fine non formaliter sumpto, sed realiter sumpto, ita scilicet ut omne illud, quod non respicit illam rem, quæ est finis, siue respiciat illum formaliter, ut finem, siue respiciat illum, ut obiectum, aut causam efficientem, non possit causari: quod non præiudicat conclusioni; & eodem modo potest responderi ad probationem maioris & ad confirmationem.

Respondet secundo, Scotum posse intelligi cum distributione accommodata, ita scilicet ut velit, omne illud, quod non habet causam finalem præter illos actus, quibus amamus & desideramus ipsam causam finalem, seu qui inmediate in illum tendunt, esse incausabile, nisi sit finibile: quod etiam non præiudicat conclusioni.

Quod si ex his responsionibus neutra placeat, dicant Scotus fuisse in hac re problematicus, & fundamentum hoc dicendi sit, & hic locus pro una parte, & pro altera parte locus citatus pro nostra conclusione.

47 *Obijci*es secundo, obiectum fruitionis est finis ultimus, vel verus, vel apparens, vel præfixus secundum Scotum in 1. dist. 1. q. 1. Sed fruitio est amor finis propter se: ergo amor finis propter se est effectus finis, & causatur à fine in genere causæ finalis.

Confirmatur: quia amor charitatis supernaturalis habet Deum pro finali causa: ergo amor finis est effectus eius in genere causæ finalis.

Respondet distinguendo maiorem: ita ut sit dependens ab illo in genere causæ finalis, nego: ita ut tendat in illud,

quod habet pro fine ultimum; quem ultimatè, & principaliter intendit acquirere, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam: aliud est quod versetur ille amor circa illud, quod habetur pro fine; aliud verò est, quod dependeat ab ipso, tanquam à fine, seu in genere causæ finalis formaliter.

Dices: reuera illud obiectum est finis ipsius: nec enim alium finem habet, ergo dependet ab ipso, tanquam à fine.

Respondet distinguendo antecedens: est finis ipsius, id est illud, in quod ultimatè tendit, concedo antecedens: est causa finalis ipsius, id est à qua in genere causæ finalis dependet, nego antecedens, & consequentiam. Quod autem non sufficiat quod habeat ipsam pro fine priori modo, sic scilicet, ut tendat in ipsum ultimatè, nec ex se petat tendere in aliud, patet: quia cognitio obiecti tendit in obiectum suum ultimatè hoc modo, & tamen non habet obiectum pro causa finali, sed pro causa efficiente. Per quod patet ad confirmationem, cuius antecedens est negandum, loquendo de causa finali proprie dicta, quod scilicet influat in illum amorem per modum causæ finalis.

Dices, amor charitatis potest esse medium in ordine ad consequendum Deum: ergo potest causari à Deo, tanquam à finali causa proprie dicta.

Respondet distinguendo consequens, quando ut medium assumitur, concedo; nec id negari debet ex dictis hactenus; quando non assumitur ut medium, nego consequentiam. Tunc autem assumitur ut medium, quando procedit ex desiderio finis consequendi, & ipsemet proponitur, ut quid utile ad finis consecutionem.

*Obijci*es tertio: amor finis dependet à fine in aliquo genere causæ, sed non in alio, quam in genere causæ finalis: ergo sic dependet. Probat'ur minor; quia si in alio genere dependeret, maxime in genere causæ efficientis: sed sic non dependet; quia ut suppono ex dicendis in libris de anima disputatione de voluntate, voluntas est causa effectiva totalis sui actus, nec cum ea concurret tanquam causa partialis obiectum.

Respondet: si loquamur de amore finis, qui causatur à fine mediante delectatione aliqua prævia quæ causaretur à fine, illum amorem causari à fine, quatenus finis habet rationem causæ efficientis istius delectationis, quæ trahit voluntatem formaliter ad producendum amorem illum. Sed hoc fit absque vlla causalitate subiecta in fine aut delectatione illa, & terminata ad amorem, quia immediate causatur ab ipsa voluntate, tanquam à causa immediata adæquata fine concursu alterius causæ, quam causæ primæ. Si verò loquamur de amore finis, qui producitur à voluntate absque receptione vllius qualitatis præviæ, quæ inclineretur voluntas ad amorem illum producendum: dico quod ille non proveniat vlllo modo effectivè ab obiecto amato, sed ad eum producendum concurret illud obiectum, quatenus ab intellectu propositum inclinat seipso voluntatem ad eum producendum: quod magis parebit ex dicendis in disputatione de voluntate, & de habitibus.

48 *Obijci*es ultimas: finis movet ad amorem sui, quia est per se appetibilis: ergo causat illum amorem in genere causæ finalis.

Confirmatur, quia finis, ut finis, est per se obiectum voluntatis: ergo voluntas in omni actione sua tendit in illum.

Respondet negando consequentiam; quia posset sic movere in genere causæ efficientis, sicut verum causat cognitionem sui.

Ad confirmationem respondeo, distinguendo antecedens: finis, ut finis, id est ut exercens actu rationem causæ finalis, nego antecedens; bene enim potest voluntas habere plures actus circa finem absque eo quod finis exerceat rationem talis causæ. Finis, ut finis, id est, ut est quid habens bonitatem, quæ sit virtus causativa ipsius, quæ potest causare in genere causæ finalis, transeat antecedens, & distinguatur consequens: tendit in ipsum tanquam in obiectum, transeat: tanquam aliquid, à quo dependet in genere causæ finalis proprie dictæ, nego consequentiam.

Hinc universaliter patet, quod nulli, actus voluntatis,

nec

nec effectus procedentes à fine, ac tendentes in illum sint effectus eius in genere causæ finalis, nisi illi, qui procedunt ab ipso, vt amato, & qui ordinantur ad ipsius consecutionem aut perfectionem; ac propterea sola media vere esse effectus causæ finalis, & quæ sequuntur ad media tanquam effectus; vnde gaudium de fine possessio, licet causetur immediate ab ipso fine, tanquam à causa efficiente, tamen etiam dependet ab ipso tanquam à causa finali, quia nisi vt talis causa moueret efficiens ad applicationem, non haberetur illud gaudium, sicut nec ipse finis obtineretur: loquor autem de fine, qui non acquireretur, nisi per applicationem mediorum.

QVÆSTIO VII.

Quenam agunt propter Finem.

Homines,
& Angeli
agunt propter finem.

49 **C**ertum est homines, & Angelos agere propter finem à se amatum, & ordinare posse ac solere media ad acquisitionem finis, quem amant: cum enim cognoscant finem, & media; non solum materialiter, sed formaliter; & cum sint capaces actuum, quibus tendant in finem, & media illa, vt sic cognita, qui actus vere efficienter producantur, non potest dubitari, quin conueniat ipsis sic agere: si enim non possent si c agere, maxime quia vel non cognoscerent finem, & media vilo modo, quemadmodum non cognoscuntur ab illis, quæ non sunt animalia, nec rationalia; vel quia non cognoscerent illa formaliter, prout communiter supponitur ea non cognosci à brutis; vel quia actus, quibus tenderet in finem essent inefficaci, quemadmodum actus Dei sunt inefficaci: ergo cum neutrum ex his sit verum de hominibus & Angelis, debet concedi, quod possint agere propter finem.

Inanimati
non agunt
propter finem à se
intentum.

Præterea, æquè certum est inanimata, ac ea omnia quæ non habent virtutem cognoscitiuam, non posse agere propter finem à se intentum, quia vt sic agerent, deberent cognoscere finem, agunt tamen propter finem intentum à Deo, non quod ipsa proprie intendunt illum finem, cum eum non cognoscant; nec quod moueantur ab illo, dum agunt, sed quod Deus dirigat omnes effectus ab illis productos ad aliquem finem à se intentum. Itaque sola difficultas huius quæstionis versatur circa Deum ipsum, & bruta, an scilicet agant propter finem à seipsis intentum.

CONCLUSIO I.

Deus agit
propter finem.

50 **D**eus agit propter finem. Hæc est communissima, & probatur primo, Prouerb. 6. Omnia propter seipsum operatus est Dominus.

Probatur secundo ratione: quia reuera in ordine ad manifestationem perfectionum suarum condidit Mundum, eumque gubernat & protegit: ergo agit propter illum finem.

Confirmatur: quia agere propter finem arguit potius perfectionem, quam imperfectionem: ergo non debet Deo negatissimo esse maxima imperfectio, quod ipse efficiat aliqua quæ posset ordinare ad bonos fines & non ordinaret.

Obijci: vt Deus ageret propter finem, deberet actio ipsius causari à fine, seu oriri ab ipso: sed hoc est falsum, quia actio Dei est ipsamet volitio eius, quæ esset, quamuis non moueretur à fine: ergo non potest agere propter finem.

Confirmatur: quia quod agit propter finem debet à fine moueri ad agendum: sed Deus nequit ab vilo fine moueri: ergo nequit agere propter finem.

Probatur minor: quia quod mouetur à fine debet quando sic mouetur, aliter se habere, quam si non moueretur; sed Deus non aliter se haberet, quando de facto fecit mundum aut decreuisset illum facere, quam si non fecisset aut decreuisset: ergo non mouetur à fine ad faciendum aut discernendum.

Respondetur distinguendo maiorem: si posset ordinare res ad finem, seu producere eas propter finem, absque eo quod actio ipsius causetur aut oriatur à fine, nego maiorem: si non possit, concedo maiorem: & distinguo etiam minorem:

ex suppositione quod actio ipsius sit ipsamet volitio identificata ipsi, concedo minorem: ex suppositione quod non sit, nego minorem & consequentiam. An autem volitio ipsius sit illa actio, nec ne, non spectat ad præsens; & propterea respondi conditionaliter, vt abstraherem hanc difficultatem ab illa alia de actione Dei.

51 *Respondetur secundo* distinguendo etiam maiorem: ita vt oriatur ex fine quod habeat denominationem formalem actionis, concedo: secundum suam entitatem realem, nego maiorem: & distinguo minorem: est falsum quod oriatur à fine ita, vt à fine oriatur quod habeat denominationem formalem actionis, nego; quod oriatur à fine ita, vt ipsamet actio secundum entitatem suam realem identificatam Deo oriatur à fine, nego minorem, & consequentiam.

Respondetur tertio, distinguendo etiam maiorem, deberet oriri à fine: ita, vt Deus non diceretur formaliter agere aut decernere facere aliquid, nisi à fine moueretur aliquo modo, concedo maiorem: deberet oriri à fine alio modo, nego maiorem: distinguo etiam minorem: hoc est falsum, in sensu quo conceditur maior, nego minorem: in alio sensu, concedo minorem, & nego consequentiam.

Ad Confirmationem respondetur, distinguendo maiorem: debet moueri motione proprie dicta inuolente imperfectionem aut mutationem aliquam realem in Deo, nego maiorem: debet moueri motione improprie dicta non inuolente talem imperfectionem, sed æquivalente tamen motioni tali, quantum ad hoc quod æque propter illam Deus ordinat media ad finem, ac si sic moueretur, concedo maiorem, & distinguo similiter minorem: nequit priori modo, concedo; posteriori, nego. Ad cuius probationem dico quod sicut Deus potest decernere aliquid non habendo se aliter intrinsece quam ante haberet, si tale quid non decerneret: ita etiam potest moueri ad faciendum aliquid, non habendo se aliter intrinsece, quam haberet se, etiam si sic non moueretur: & licet tale quid non posset accidere in creaturis propter earum finitatem, & limitationem: potest tamen in Deo ob suam illimitatam ac infinitam perfectionem; de quo tamen exactius spectat ad Theologiam tractare.

52 *Queritur* hic, an Deus habeat causam finalem respectu actionum suarum immanentium, verbi gratia, respectu intellectionis, & volitionis essentialis, qua intelligit, & vult se suæque attributa, & respectu actionis, qua producit ac generatur Verbum, ac inspirationis, qua inspiratur Spiritus sanctus.

An Deus
habeat cau-
sam finalem
respectu ac-
tionum suarum im-
manentium.

Communis resolutio est negatiua: quia illæ actiones non habent causam efficientem, cum sint indentificatæ Deo; causa autem finalis solum habet causare illa, quæ ab efficiente producantur: quandoquidem non causat nisi mouendo efficiens. Verum quandoquidem detur principium productiuum verum, & reale in Diuinis, quod producit aliquid ad intra distinctum realiter à se ipso, productione vera, & reali, licet non efficiat illud, verbi gratia, Pater respectu Filij, & vterque respectu Spiritus sancti; non videtur excludi causa finalis à productionibus ab intra sufficienter per hoc, quod intra non sit principium effectiuum: gratis enim videtur dici quod requiratur causa efficiens, & non sufficiat principium productiuum. Itaque non video cur Pater & Filius non possent dici habere principium finale mouens ipsos absque imperfectione in ordine ad productionem Spiritus sancti: cur enim non ex amore essentie Diuinæ & communicationis perfectissimæ eius dicerentur producere Spiritum sanctum; & præterrim, si libere producat ac non naturaliter, vt tenent *Scotista*. Sed de hoc nihil resoluo, solum propono hoc tanquam rationem dubitandi, & resolutionem vltimam relinquo pro Theologia.

53 *Queritur* etiam similiter, an actiones transeuntes Dei habeant causam finalem: & *Respondetur* breuiter quod, si actiones transeuntes eius se teneant ex parte effectuum, eodem modo possint dici habere causam finalem, quo actiones transeuntes creaturarum producentium effectus propter finem: eadem enim est ratio. Si vero se teneant ex parte Dei, dicendum est quod habeant causam finalem in hoc

An actiones
transeuntes.

hoc sensu, quod non denominarent Deum causantem, nisi moueretur suo modo à fine ad producendos effectus: & hoc sufficit, ut dicantur simpliciter habere causam finalem, nisi quis velit reducere rem ad quæstionem de nomine.

CONCLUSIO II.

Probabile est quod Bruta agant aliquando propter finem, ut bonum ab ipsis apprehensum, & applicando media cognita ut vtilia in ordine ad affectionem eius. Hæc videtur contra communio rem sententiam, eam tamen tenet expresse *Arriaga disp. 8. num. 65.* & mihi semper à tyrone placebat. Pro ea ipse citat *D. Thomam 1. p. q. 78.*

Probat à posteriori similibus omnino rationibus, quibus probari posset de hominibus quod operentur propter finem: nam videmus manifeste quod ad propositionem boni, quod ipsis est delectabile, appetant illud, & moueant se ad acquirendum ipsum, applicantque media opportuna ad eius consecutionem, quod patet multis exemplis animalium domesticorum. Quod si quis dicat animalia appetere hæc bona materialiter, & applicare media etiam materialiter, sane idem poterit dicere de hominibus. Nec refert quod homines habeant rationem & discurrant; hinc enim solum sequitur, quod perfectius cognoscant finem & media, quam animalia; & quod possint per discursum excogitare media nunquam proposita, & quæ aliis non scirent esse media apta; quod brutis non conuenit, discursu carentibus: sed non sequitur hinc quin bruta etiam operentur propter finem, applicando media, licet non operentur tam perfecte quam creaturæ rationales.

Obijciens: non cognoscunt finem; ut acquisibilem per media ut vtilia formaliter, quia acquisibilitas est respectus & vtilitas etiam; cognitio autem materialis, qualem solummodo habent bruta, non tendit in respectus: ergo non agunt propter finem formaliter, sed tantum materialiter.

Respondeo negando antecedens, quia aliis nunquam applicarent media. Ad probationem autem antecedentis dico, vel cognitionem sensitiuam tendere etiam in respectus transcendentales huiusmodi, vel certe acquisibilitatem, & vtilitatem, quæ debet considerari in fine & mediis ad hoc ut aliquis agat propter finem formaliter, & ut applicet media formaliter, non esse respectum secundum esse, sed secundum dici, hoc est tale, quod reuera non est respectus, sed nequit tamen explicari nisi per modum respectus.

Dices, Brutum, quando applicat medium, id facere ex instinctu naturali, & non in ordine ad acquisitionem finis quasi intenderet ipse per medium finem.

Contra, sic posset dici de hominibus, & sane ridiculum videtur dicere, quod quando felis auertit oculos à mure capto; dum ludit cum ipso, quasi negligenter ipsum, non intendat deceptionem muris; & quod dum canis inter prandendum assurgit in pedes posteriores, aut trahit veementem comedentis, non intendat inducere ipsum ad dandum sibi buccellam.

QUESTIO VIII.

De causa instrumentali.

Licet fuisse à multis tractari soleat de instrumentis in communi & particulari, quia tamen fere omnis controuersia est tantum de nomine, breuiter quid dicendum explicabo.

Aduerto autem primo, instrumentum varias habere acceptiones, primo enim capitur pro omni causa alteri superiori subordinata, & sic omnis creatura dici solet instrumentum Dei in ordine ad res, quæ producuntur per creaturas; quamuis alias dubium non sit, quin creaturæ multæ sint causæ principales suorum effectuum.

Secundo vocatur instrumentum omne illud, quod deseruit alicui causæ in ordine ad producendum suum effectum, disponendo subiectum virtute sua propria, ut ille effectus producat, & non attingendo immediate ipsum effectum

ad quem disponit: sic calor est instrumentum ignis ad producendum alium ignem, & idem est de cæteris accidentibus connaturalibus substantiarum, quæ similiter disponunt subiectum, ut forma substantialis producat in materia eius per causam principalem, cui accidentia sunt instrumenta.

Capiendo Instrumentum in his duabus acceptionibus, facile est ipsum distinguere à causa principali, & assignare quid sit causa principalis, quatenus opponitur instrumentali; erit enim illa causa, quæ non subordinatur alteri nec eatenus tantum causat, quatenus disponit ad effectum: causa vero instrumentalis est, quæ subordinatur alteri; aut quæ non causat nisi quatenus ex virtute sua propria disponit ad effectum, respectu cuius dicitur causa instrumentalis. In utroque vero sensu certum est, quod sit actiua & quod non requiratur eleuationem ullam: nec de hoc est ulla lis inter authores.

57 Alia acceptio strictior instrumenti, est illa, in qua instrumenta artificialia, ut sigillum, securis & similia dicuntur esse causæ instrumentales effectuum, qui per ipsa instrumentaliter produci dicuntur, & in qua Sacramenta dicuntur causare gratiam, tanquam instrumenta; & difficultas principalis huius quæstionis consistit in assignanda descriptione instrumenti hoc modo accepti.

Communior explicatio videtur esse, quod Instrumentum sit id, quod agit ut motum à causa principali, aut quod sit illud, quod agit in virtute causæ principalis, non vero virtute propria.

*Descriptio
Instrumenti
propter dicta.*

Sed contra hanc descriptionem facit primo, quod serra omnino immota scinderet lignum, si nimirum ipsum lignum moueretur supra ipsam; & idem est de sigillo, quod imprimeret sine dubio figuram in cera, quæ moueretur supra ipsum immotum: in his casibus serra & sigillum agerent instrumentaliter, & tamen non mouerentur à causa principali, nec reciperet aliquam virtutem ab ipsa in seipsis, ergo non sufficit prædicta descriptio.

Rursus, aqua calida calefaceret, quatenus mota ab aliqua causa calida ad calorem, & per virtutem ab illa causa acceptam, & tamen non dicitur esse causa instrumentalis, sed principalis istius calefactionis, quia calefaceret aliud subiectum: ergo prædicta descriptio conuenit aliis, quam instrumentalibus, & consequenter non est bona.

58 Præterea, quando dicitur, quod causa instrumentalis agit, ut mota à principali, vel intelligitur, quod moueatur localiter ab alia causa, aut quod alia causa comunicet ipsi aliquam virtutem in actu primo, quam à se non habet; aut quod concurrat alia causa cum ipsa, aut quod actio, quæ producit alia causa effectum, egrediatur ab ipsa, quamuis non habeat in se virtutem correspondentem in actu primo, nec enim videtur, quo alio modo possit dici agere ut mota: sed nullas ex his modis sufficit: ergo non bene describitur esse illud, quod agit, ut mota ab alia causa. Probat minor: non primus, nec secundus, quia sigillum absque concursu alterius causæ, aut absque eo quod moueatur localiter ab alia causa, quando caderet deorsum ob gravitatem suam naturalem, ablato tantum impedimento, quo detinebatur sursum, omnino imprimeret figuram in cera molli supra quam caderet. Deinde aqua calida accipit virtutem calefactiuam ab alia causa & tamen non dicitur causa instrumentalis calefactionis: ergo accipere virtutem ab alia causa non sufficit ad causam instrumentalem faciendam. Rursus omnes creaturæ accipiunt virtutem productiuam à Deo, & dependent ulterius ab actuali concursu eius, & tamen non propterea dicuntur causæ instrumentales in sensu in quo iam agimus de causa instrumentalibus; licet in alio sensu dicantur tales, ut dictum est supra.

59 Tertius etiam modus non sufficit, quia, ut iam dixi, Deus concurrit cum omnibus causis secundis, & vniuersaliter quando sunt causæ partiales plures principales, quælibet cum altera concurrit, & neutra respectu alterius dicitur causa instrumentalis.

Denique non sufficit quartus modus, quia impossibile est quod actio egrediatur ab aliqua causa, in qua non sit virtus productiua in actu primo, quæ est ratio fundam. a. 1. o. nem; ergo si in aliqua causa non sit virtus productiua

Vu in

in actu primo, non potest actio egredi ab ipsa. Probatur antecedens; quia actio est determinatio virtutis actiue in actu primo, qua actualiter constituitur causa habens illam actualiter causans.

Secunda explicatio.

Alia explicatio causæ instrumentalis est quod sit illa, quæ agit per virtutem minus nobilem seu perfectam: quam ipsemet effectus, qui producit. Quæ explicatio consequens est ad alteram explanationem, qua dicitur quod causa principalis sit illa quæ agit per virtutem æque perfectam, aut perfectiorem effectum.

Sed contra hanc explanationem facit, quod species expressa, quæ concurret partialiter cum oculo ad visionem, non sit causa instrumentalis propria respectu ipsius; & tamen est imperfectior illa; & vniuersaliter loquendo non est inconueniens quod aliqua causa principalis partialis sit imperfectior effectui, quamuis sit absurdum quod aliqua causa totalis sit illo imperfectior.

Deinde, si Deus eleuaret gratiam ad producendum calorem, sicut eleuat aquam ad producendum gratiam, gratia tum esset causa instrumentalis respectu caloris, & tamen esset perfectior quam calor; ergo causa instrumentalis potest agere per virtutem æque principalem, aut principaliorum. Quod confirmari potest alio exemplo de Angelo superiori, qui esset eleuatus à Deo ad producendum alium Angelum inferiorem aut æque perfectum. Quæ exempla maxime deseruiunt contra asserentes potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet: sed & contra alios etiam, qui id negant, possunt seruire.

Tertia explicatio.

60 Tertia explicatio est, quod causa instrumentalis sit illa, quæ concurret ad producendum effectum, in quo nulla sit formalitas particulariter correspondens ipsi: unde quia in gratia nulla est formalitas particulariter correspondens aquæ, propterea aqua est causa instrumentalis gratiæ.

Contra: quia habitus non est causa instrumentalis actus; & tamen nulla videtur esse formalitas particulariter correspondens habitui in actu.

Deinde, in sole non videtur esse vlla formalitas particulariter correspondens calori, quem producit, aut motui, neque in igne respectu caloris: & tamen Sol est causa principalis caloris à se producti & ignis est causa principalis sui caloris.

Rursus, si Angelus vnus produceret alium, ad hoc eleuatus à Deo, non esset causa principalis (maxime secundum, auctores, qui vtuntur hoc modo dicendi) & tamen in Angelo producto essent omnes formalitates correspondentes Angelo producenti, non minus quam formalitates ignis producti correspondent formalitatibus ignis producentis.

CONCLUSIO I.

Descriptio instrumentorum artificialium.

61 Instrumenta artificialia bene describuntur esse illa, quæ concurrunt ad effectus, respectu quorum dicuntur instrumenta, ratione figuræ suæ, & quantitatis, absque vilo alio concursu effectiui, præter illum, quem præstant ad expellendum aliud corpus à loco. Hæc est nullius quod sciam in terminis. Sed quantum ad rem ipsam potest colligi ex Scoti in 4. d. 1. q. 4 n. 4.

Probatur autem, tum quia non potest melius explicari, tum quia reuera declarat naturam instrumentorum huiusmodi, vt distinguuntur à causis efficientibus physicis, quæ non sunt instrumenta: tum denique considerando naturam particularium quorundam instrumentorum, & ex ea hanc descriptionem stabiliendo. Itaque sigillum est instrumentum artificiale, & habet pro effectui suo figuram illam, quam relinquit in alio corpore capaci, verbi gratia, in cera aut plûbo. Ceterum autem est, quod imprimat sigillum illam figuram ratione figuræ, quam habet in se, & ratione quantitatis suæ, unde si haberet quantitatem absque figura tali, aut figuram absque quantitate, non imprimeret illam: vtrumque ergo requiritur. Deinde si ponatur nullam habere virtutem actiuam præter illam, quam habet in ordine ad expellendum partes corporis, in quo figura imprimatur, per illam solam, supposita figura & quantitate sua, poterit imprimere figuram, aliquando quidem absque vilo impulsu alterius causæ: vt si caderet supra ceram mollem, ex

gravitate sua: aliquando verò non nisi accedente tali impulsu, vt cum non cadit supra corpus figurandum ex sua gravitate, sed per impulsu alterius causæ, qui impulsus quandoque debet esse maior, quandoque minor iuxta resistentiam corporis figurandi; & aliquando etiam absque motione locali ipsius instrumenti, sed per motionem localem corporis figurandi ad ipsum, vt si cera applicetur fortiter sigillo immoto.

62 Rursus: penna est instrumentum scribendi, & certum est, quod concurrat ad scribendum ratione figuræ talis vel talis, ac quantitatis absque actiuitate vlla præter illam; quam habet ad expellendum aërem, aut aliud corpus à loco, per quem transit: supposita enim illa figura, quantitate & expulsiōe, atramentum penne coniunctum adhæret tali modo chartæ iuxta concursu penne, qui cursus penne prouenit effectiue à causa ducente ipsam.

Præterea, fistula organica ratione figuræ & quantitatis suæ admittit tantum aëris & non plus, & impedit quominus progrediatur alio modo, quam iuxta concanitatē suam, propter quantitatem & virtutem expulsiuam alterius corporis, & non habet aliam causalitatem respectu soni causati per illum aërem.

Et si discurremus per singula instrumenta artificialia, videbimus, quod hoc modo tantum concurrat ad suos effectus: ergo bene describuntur præ ordinem ad hunc modum causandi.

63 Quod si quæras, an huiusmodi instrumenta habeant virtutem actiuam.

An instrumenta artificialia habeant virtutem actiuam.

Respondeo, quod illa instrumenta, quæ expellunt positiue corpora à loco, in quo alias fuerunt, habeant virtutem actiuam in ordine ad hoc faciendum, & quidem aliquando independentem ab vlla alia causa mouente aut impellente ipsa, vt cum sigillum gravitate sua naturali caderet supra ceram. Nam quamuis non effectiue sed formaliter expellat vnum quantum aliud quantum à loco, in quo ipsum est, & aliud antecedenter fuit, sicut frigus expellit calorem formaliter tantum, & non effectiue; tamen aliud vbi, quod corpus expulsum habet in alio loco, quando expellitur à primo loco, habet aliquam causam efficientem, & non aliam saltem aliquando, quam instrumentum, vt in casu, quo cadit instrumentum ob gravitatem naturalem.

Non est autem necessarium quod omne instrumentum habeat hanc virtutem actiuam expulsiuam, sed sufficit quod formaliter impediatur accessum alterius corporis, absque eo, quod det ipsi effectiue vllum vbi, vt patet in fistula organica.

Nec Scotus supra, huiusmodi actiuitatem negauit instrumentis, sed solum voluit illam non esse necessariam ad rationem instrumenti vt sit: quod verum est, vt patet ex iam dictis de fistula organica; & in exemplo etiam Scoti de ferra: quamuis enim ex motu ferræ fiat, vt partes ligni secti occupent alium locum, tamen hoc est per accidens ad sectionem, nam eo ipso formaliter expellerentur à loco priori quamuis destruerentur sicut destruitur frigus quando expellitur à suo subiecto, lignum esset sectum eodem modo per ferram. Unde illa occupatio alterius loci est impertinens ad illam sectionem formaliter loquendo.

64 Si etiam quæras Alterius, an causæ instrumentales huiusmodi subordinate aliis causis principalibus, ita vt effectus ipsorum debeant principalibus tribui aliis causis, quam sibi ipsis.

An causæ instrumentales sint subordinate aliis causis.

Respondeo imprimis sæpe contingere, vt effectus ipsorum nulli alij (non loquor de Deo) debeat adscribi immediate, nisi ipsi in instrumento, vt patet in casu quo sigillum caderet supra ceram mollem ex gravitate naturali. Dico autem immediate, quia mediate posset adscribi causæ efficienti sigillum, quod non facit ad rem, & posset adscribi causæ applicanti ceram, aut auferenti impedimentum motus deorsum tanquam causis applicantibus, & remouentibus prohibens, quod etiā non facit ad rem. Et vniuersaliter, quādo nulla alia causa alio modo concorrit ad effectus instrumenti, quam applicando varia corpora

talit

tali modo ad se innicem, quo modo quando applicantur naturaliter ex se ipsis debent causare talem effectum, ut contingit in organis artificialibus; quæ sonant seipsis, illa causa non debet censeretur causa principalis physica istius effectus, sed solum causa applicans: sicut seminantes sunt causæ, quod crescat granum in tali loco, quod non cresceret ibi, nisi ab ipsis esset seminatum. Quando verò instrumentum non causat effectum, nisi per motum sui localem aut per motum localem alterius corporis, & iste motus localis provenit ab alia causa, illa alia causa dicitur causa principalis effectus; quod tamen non existimo sic intelligendum, quod magis conducat ad effectum, quam ipsum instrumentum, sed quod magis eff. etive se habeat.

63 *Esti ulterius quæras*, quomodo possit dici instrumentum esse causa instrumentalis, quando non subordinatur alteri causæ: nam videtur tum dici debere causam principalem, quandoquidem nulla alia sit principalior.

Respondeo, dici causam instrumentalem, non quia subordinatur alteri causæ: sed quia, ut plurimum, solet sic subordinari quia solet data opera reduci ad talem figuram in ordine ad effectus tali modo producendos; & quia producit effectum alio modo, quam solet alia causæ efficiencie physica, quæ non dicuntur instrumentales; hæ enim non producant suos effectus ratione figuræ & quantitatis suæ, sed independentè à figurâ vlla; instrumentum autem producit suum effectum ratione figuræ. Et per hæc patet ad omnia, quæ contra hæc conclusionem obijci possunt.

CONCLUSIO II.

Preter artificialia non dantur alia instrumenta actiua.

66 *Pater huiusmodi instrumenta artificialia non potest dari aliquod physicum instrumentum, quod eff. etive & physice attingat effectum, respectu cuius dicetur instrumentum. & non sit causa principalis physica ipsius eo modo, quo alia causæ, quæ non dicuntur instrumenta dicuntur causæ principales. Hæc est conformis doctrinæ Scottistarum omnium, & contra Thomistas, & recentiores, qui dicunt intellectum esse causam instrumentalem physicam respectu actuum supernaturalium, & Sacramenta esse causas instrumentales gratiæ.*

Intellectus non est causa instrumentalis actuum supernaturalium.

Probat autem: quia si darentur huiusmodi causæ instrumentales, maxime essent intellectus respectu actuum supernaturalium, & Sacramenta respectu gratiæ, & quæ haberent se eodem modo respectu suorum effectuum, quo illa respectu illorum se habent; sed hæc non possunt esse causæ instrumentales physica; ergo non dantur tales, nec dari possunt etiam de potentia absoluta. Probari posset minor ostendendo, & quod intellectus virtute sua propria concurrat ad actus supernaturales, quamvis non nisi concurrente aliqua concausa supernaturali; & quod Sacramenta non attingant physice gratiam, sed solum moraliter. Sed quia hæc probatio dependet ab aliis principiis controuersis examinandis in Theologia, consultius est conclusionem probare alio modo; etiam supponendo illud ipsum, quod asserunt aduersarij in illa controuersia, nempe quod intellectus non concurrat ad actus supernaturales villo modo virtute sua propria, sed quod tota ratio agendi habeatur à qualitate supernaturali ipsi ad agendum supernaturaliter cõcessa; & supponendo etiam, quod sacramenta concurrant physice ad productionem gratiæ: quæ tamen omnino falsa sunt.

67 *Hoc inquam, supposito, probatur minor*: Intellectus & Sacramenta sunt causæ principales physice istorum effectuum, si attingant illos physice: ergo non sunt causæ instrumentales eorum in sensu, in quo modo loquimur. Probat autem: quia non possunt attingere illos effectus physice, nisi quatenus habent virtutem aliquam cõmunicatam ipsis à Deo, quæ virtus est sufficiens ratio in actu primo, ratione cuius ipsa habeant actionem terminatam ad illos effectus; sed si habeant talem virtutem, omnino erunt causæ principales: ergo. Probat minor: tum quia nihil aliud requiritur ad hoc, ut aliquid sit causa principalis, quam quod habeat, in se subiectam virtutem principalem, & sufficientem ad actionem; tum quia si quid impediret, maxime quia illa virtus non esset connaturalis illis causis; sed communicata ipsis aliunde: hoc autem non

impedit, quia aqua calida causat tanquam causa principalis alium calorem, & tamen calor, qui est virtus, quæ mediante illum producit, non est ipsi connaturalis, sed communicata ipsi per aliam causam.

68 *Dices ad hoc ut esset causa principalis, deberet virtus illa esse eiusdem ordinis cum ipsamet*, quod non contingit in proposito.

Contra, quia ex hac responsione ad minus habetur, quod non possit dari causa instrumentalis physica naturalis ordinis præter artificialia.

Contra secundo, quia quod virtus sit supernaturalis ordinis non facit aliud, quam constituere causam in ordine supernaturali, quæ absque illa virtute non esset in tali ordine: sed posset esse principalis causa hoc non obstat: ergo supernaturalitas virtutis non impedit, quominus causa illam habens sit principalis causa.

Confirmatur: quia quod aliquid constituatur potens agere per virtutem naturalem, non connaturalem, non impedit quominus sit causa principalis effectus naturalis producti per illam virtutem: ergo quod aliquid constituatur potens agere per virtutem supernaturalem non connaturalem, non impedit, quominus sit causa principalis effectus talis virtutis.

69 *Dices secundo*: causa principalis debet habere virtutem agendi, per quam constituitur talis causa in esse quieto & permanenti: sed Sacramenta & intellectus non habent virtutem causatiuam prædictorum effectuum in esse quieto & permanenti: ergo non possunt esse causæ principales.

Respondeo: in primis falsum esse, quod intellectus non habeat virtutem supernaturalem actiuam in esse quieto & permanenti: nam lumen gloriæ est quid permanens, & habitus etiam supernaturales in substantia.

Deinde, quod virtus illa sit quid transiens & dependens actualiter in esse & conseruari à causa alia, non tollit quin causa sit principalis pro illo instanti, quo habet illam virtutem: quid enim refert, quod permaneat, aut non permaneat pro aliis instantibus, quandoquidem pro illo instanti eodem modo causat per illam, ac si maneret vel non maneret pro aliis instantibus sequentibus.

Confirmatur: species visibilis, quæ est virtus, quæ oculus producit visionem, dependet in esse & conseruari ab obiecto, à quo immittitur, & est quid transiens, si transeat obiectum: sed hoc non obstante oculus non dicitur esse causa instrumentalis visionis: ergo quod transeat vel non, nihil facit ad rem.

Deinde, si Deus communicaret virtutem aliquam supernaturalem permanentem Sacramentis, (prout in sententia aduersariorum debet esse possibile) certe Sacramenta non nisi instrumentaliter causarent gratiam, si modo sic illam causant, & tamen haberent virtutem permanentem, ergo permanencia aut defectus eius nihil iuuat nec impedit propositum.

CONCLUSIO III.

70 *Instrumenta moralia sunt illa, quæ licet non attingant ipsamet physice effectum, ordinantur tamen ab alia causa ad causationem effectus in hoc sensu quod ipsæ applicatis, ipsamet physice causent effectum ex eo, quod illa sunt applicata. Hæc est Scottistarum, & non video, quod ab villo negari possit nisi faciendo quæstionem de nomine.*

Probat autem: quia hoc modo solummodo Sacramenta causant gratiam, ut suo loco dicitur, sed Sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ: ergo bene describitur causa instrumentalis per hunc modum causandi.

Et si quæras rationem, cur causa causans hoc modo vocetur instrumentalis.

Respondeo, in primis sic posse vocari, quia ea virtutis Dei in ordine ad producendos effectus, in ordine ad quos dicitur talis. Quo etiam sensu diximus in initio quæstionis omnes causas secundas posse vocari instrumentales.

Deinde potest vocari instrumentalis, quia non agit per virtutem aliquam physicam, mediante actiue physica, & consequenter habet proportionem aliquam cõmunicatam instrumentis artificialibus physicis, saltem quæ non sunt actiua.

V u 2 Quæres

Quid sunt instrumenta moralia?

Quæres ad quod genus causæ debet reduci instrumentalis.

Respondeo: sine dubio ad genus causæ efficientis, quia non ad genus causæ finalis, nec materialis, nec formalis, nec exemplaris; nullum autem aliud genus causæ assignari posset, ad quod reduceretur, præter genus causæ efficientis nec circa hoc est ulterius immorandum, cum nulla in eo sit controuersia.



DISPUTATIO XI.

De Collatione Causarum inter se cum suis effectibus.



A c disputatione complebitur tractatus de causis per se, de quibus cum seorsim antea actum sit restat iam, ut ad inuicem & ad suos effectus comparentur.

QVÆSTIO I.

An causæ debeant esse priores & perfectiores suis effectibus.

CONCLUSIO I.

Causa non debet esse prior tempore existens, quam effectus: potest tamen naturaliter contingere, ut causa materialis & efficiens, ac etiam finalis cuius assequendi gratia, præcedant effectum tempore, & etiam sequantur; non potest autem naturaliter contingere, ut causa formalis præsupponatur tempore effectui suo. Hæc est extra controuersia. Et probatur prima pars: quia ut aliquid habeat rationem causæ, nihil aliud requiritur, quam ut habeat influxum in ipsum effectum: sed eo ipso, quo existat pro illo instanti aut tempore, quo existit effectus, poterit habere influxum in ipsum effectum, quamuis non existeret antecederet: ergo non requiritur, quod existat antecederet.

Confirmatur: quia influxus actualis causæ non habet dependentiam à causa, nisi pro instanti, quo existit ipse influxus, & idem est de effectus: productus per talem influxum; sed influxus ille non existit, nisi pro instanti vel tempore, quo existit effectus; ergo habet dependentiam à causa, pro illo instanti antecedenti, & consequenter existentia causæ pro instanti antecedenti est impertinens in ordine ad rationem causæ exercendam.

Confirmatur secundo: si causa non existeret antecederet, & existeret in hoc instanti, haberet suum influxum & effectum in hoc instanti; & si existeret antecederet, & non existeret in hoc instanti, non posset habere influxum aut effectum pro hoc instanti; quod enim non est, non potest aliquid realiter producere efficienter, & non intentionaliter, quamuis antea existeret: ergo sola existentia pro illo instanti, pro quo producitur effectus, sufficit, nec existentia præcedens requiritur, nisi quatenus non haberet existentiam in hoc instanti, nisi extitisset antecederet.

2. Dices: nisi Deus esset prior duratione effectui, non posset effectum producere, quia si non esset prior duratione, non posset esse simul duratione: non enim potest incipere de nouo: ergo requiritur prioritas durationis in causa.

Confirmatur: quia si Deus non existeret ab æterno, & haberet decretum ab æterno creandi, non posset creatura produci in tempore: quia Deus nihil potest producere in tempore, quod non decreuit ab æterno: ergo debet necessario præcedere effectus suos duratione, præsertim si effectus producantur in tempore.

Respondeo distinguendo antecedens: si posset ipse existere in tempore & decretum in tempore, nego: si non posset, concedo, & distingo consequens: quando causa est infinita & nequit habere esse in tali instanti, aut decretum aliquid in tali instanti, quin haberet esse & decretum tale ab æterno, concedo: quando non, nego consequentiam. Et per hoc patet ad confirmationem, quæ concedenda est totaliter. Itaque quod Deus debeat præcedere duratione necessario effectus suos, non oritur ex ratione causæ ut sic sed ex immutabilitate suæ & necessitate essendi.

3. Dices secundo: Sont aliqui effectus, qui necessario præsupponunt tempore alios effectus etiam ab eadem causa producibiles: sed illi effectus necessario præsupponunt causam, etiam tempore, nimirum ut producat illos alios effectus: ergo causa, saltem aliquando, debet esse prior tempore.

Respondeo primo, concedendo totum, quia conclusio non dicit, quod non possit aliquando etiam necessario præsupponi tempore causa, sed quod non debeat semper sic præsupponi.

Respondeo secundo, distinguendo consequens: quando effectus necessario præsupponit alium effectum ab eadem causa producendum, ut secundus gradus intentionis præsupponit gradum primum, & secunda pars motus præsupponit primam, concedo: quando non præsupponitur alius effectus tempore ab eadem causa producendus, nego consequentiam: & in hoc sensu intelligenda est conclusio, ac probationes eius.

4. Secunda pars conclusionis probatur: quia de facto parentes hominum præcedunt ipsos tempore & sæpe sequuntur, & idem est de materia prima hominis, & quando aliquis habet pro fine Deum aut diuitias, certum est quod Deus, & diuitiæ illæ præcedant tempore actiones illas, quæ tanquam media applicantur ad earum acquisitionem, & quod etiam existant post transactas illas actiones.

5. Tertia pars patet, quia de facto omnis forma producitur in subiecto, nec potest naturaliter produci aliter, siue educatur, siue creetur, ut patet experientia, & ex dictis de educatione formarum: sed in eodem instanti, quo sic producitur, sequitur ad ipsam necessario compositum, & expellitur forma contraria: ergo non præcedit nec præcedere potest naturaliter, aut compositum aut expulsionem formæ impossibilis. Bene tamen forma animæ rationalis existit tempore post suos effectus; alias non esset immortalis, sed desinente homine desineret, contra fidem, reliquæ autem formæ non existunt post suos effectus absque illis, loquendo præsertim de composito siue per se, siue per accidens, quod ex ijs & materia aut subiecto sequitur.

CONCLUSIO II.

6. Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse, secundum quod causat, quam suis effectus. Dico autem secundum illud esse secundum quod causat, ut intelligatur, quod si causet secundum quod realis, existentia proprium suum, sicut causalat causa efficiens, materialis, & formalis, & non intentionaliter tantum, debeat existere secundum illud esse prius natura. Si vero non causet secundum illud esse, sed secundum esse intentionale, quatenus scilicet proponitur in intellectu, tum non debet esse prius natura, nisi secundum illud ipsum intentionale, & potest esse posterius natura suo effectui secundum esse reale proprium suum. Hæc conclusio est communis omnium.

Probatur: quia esse prius natura, ut hic de eo agimus, est habere suum esse reale, & suam existentiam realem independentem ab illo, quod dicitur posterius natura, sic scilicet, ut absque concursu illo illius posterioris habeat suam existentiam, vel à se ipso, sicut Deus habet, vel ab alijs causis sufficientibus ad dandam ipsi illam existentiam; sed quidquid causat aliam rem debet habere suam existentiam hoc modo independentem ab illa alia re: ergo debet esse prius natura quam illa. Minor probatur: quia existentia illa, secundum quam causat, est conditio necessario prærequisita ad hoc quod causet: ergo debet esse prior quam effectus per illam causatus.

Confirmatur: quia omnis talis causa habet alia principia sufficientia ad communicandum ipsi esse existentia suæ absque influxu effectus & effectus non habet alia principia sufficientia absque influxu causæ; alias non esset effectus; ergo causa est independentem ab effectui, & effectus dependens à causa, & consequenter causa debet esse prior natura quam effectus: quia nihil aliud, ut dixi, intelligitur per, esse prius natura, quam huiusmodi independentia à illo, quod dicitur posterius, & dependentia huiusmodi posterioris ab ipso.

7. Quod

Nulla causa debet esse prior tempore suo effectui.

Forma non præcedit tempore suum effectum.

Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse, secundum quod causat, quam suis effectus.